A

KEY

TO

DR. BUTLER'S PRAXIS

ON THE

LATIN PREPOSITIONS.

LONDON:
PRINTED FOR
LONGMAN, REES, ORME, BROWN, AND GREEN,
PATERNOSTER-ROW.
1831.



LONDON:
Printed by A. & R. Spottiswoode,
New-Street-Square.

PREFACE.

THE following pages are published in compliance with the request of many gentlemen engaged in the education of youth. Experience has shown that the object intended to be secured by publishing an Index only is unattainable thereby, and any ill use of this Key may be sufficiently obviated by making the boy construe the English into Latin from the Praxis itself (in which mode it should always be used), before he writes it out as an exercise.

S. B.

Shrewsbury, Oct. 11. 1830.

KEY

TO

THE PRAXIS

ON

THE LATIN PREPOSITIONS.

CHAPTER II. Page 5.

Ad.

To, towards, in reference to place.

1. Cum inde Romam proficiscens *ad* Aquinum accederet, obviam ei processit (ut est frequens municipium) magna sane multitudo. At iste operta lectica latus est per oppidum, ut mortuus. — *Cic. Philipp.* ii. 41.

2. Hæc cum omnes sentirent, et cum in eam rationem pro suo quisque sensu ac dolore loqueretur; omnes *ad* eam domum, in qua iste diversabatur, profecti sunt: cædere januam saxis, instare ferro, ligna et sarmenta circumdare, ignemque subjicere cœperunt. — *Cic. Verr.* i. 27.

3. Eamus *ad* me. — *Ter. Eun.* iii. 5. 64.

4. Quis veterum scriptorum non loquitur, quæ sit ab Attio Nævio per lituum regionum facta descriptio? qui cum propter paupertatem sues puer pasceret, una ex his

amissa, vovisse dicitur, si recuperasset, uvam se deo daturum, quæ maxima esset in vinea. Itaque sue inventa, *ad* meridiem spectans in vinea media dicitur constitisse: cumque in quatuor partes vineam divisisset, tresque partes aves abdixissent, quarta parte, quæ erat reliqua, in regiones distributa, mirabili magnitudine uvam, ut scriptum videmus, invenit. — *Cic. Div.* i. 17.

VERSUS expressed after AD.

Vagenses ubi animum advortere, *ad* se *vorsum* exercitum pergere; primo, uti erat res, Metellum rati, portas clausere: deinde, ubi neque agros vastari, et eos, qui primi aderant, Numidas equites vident; rursum Jugurtham arbitrati, cum magno gaudio obvii procedunt. — *Sall. Jug.* 69.

With USQUE, expressed or understood, to express, with precision, time, place, number, or effect.

1. Æthiopica maxime probatur. Nam id quoque accessit, ut *ad* Æthiopas *usque* peteretur. — *Plin. N. H.* xxxvi. 9.

2. Pacatum ab se, tamquam ad aliud bellum gerendum, abisse: . . . . nec se *ad* id locorum scire, propter quam caussam consuli pro hostibus fuerint. — *Liv.* xliii. 5.

3. Deinde, ut cubitum discessimus, me et de via, et qui *ad* multam noctem vigilassem, arctior, quam solebat, somnus complexus est. — *Cic. Somn. Scip.* i. 1.

With AB.

Quod putasti fore, ut ante quam istuc venirem, Pompeium viderem; factum est ita: nam VI. Kal. ad Lavernium me consecutus est. Una Formias venimus, et *ab*

hora octava *ad* vesperum secreto collocuti sumus.—*Cic. ad Attic.* vii. 8.

For USQUE AD, to express an exact number, or the limit of an indefinite one.

1. Jupiter omnipotens, si nondum exosus *ad* unum
Trojanos, ...
. . . . da flammam evadere classi.
Virg. Æn. v. 687.

2. Luculli miles collecta viatica multis
Ærumnis, lassus dum noctu stertit, *ad* assem
Perdiderat. *Hor. Epist.* ii. 2. 26.

3. Cum hæc disseruissem, seducit me Scaptius: ait se nihil contradicere; sed illos putare talenta cc. se debere; ea se velle accipere: debere autem illos paulo minus: rogat, ut eos ad cc. perducam. Optime, inquam. Voco illos ad me, remoto Scaptio, Quid vos? quantum, inquam, debetis? Respondent, CVI. Refero ad Scaptium. Homo clamare. Quid opus est? inquam: rationes conferatis. Assidunt; subducunt; *ad* nummum convenit. —*Cic. ad Attic.* v. 21.

4. Una ex iis, quæ perseveravit, neque imperio Caleni obtemperavit, quod erat sine militibus, privatoque consilio administrabatur, delata Oricum, atque a Bibulo expugnata est: qui de servis liberisque omnibus *ad* impuberes supplicium sumit, et *ad* unum interficit.—*Cæs. B. Civ.* iii. 14.

To express an effect produced.

1. Tertium est earum [hirundinum] genus, quæ ripas excavant, atque ita internidificant. Harum pulli *ad* cinerem ambusti, mortifero faucium malo, multisque aliis morbis humani corporis medentur.—*Plin. N.H.* x. 33.

2. —— Capitoque simul Fontejus, *ad* unguem
Factus homo. *Hor. Sat.* i. 5. 32.

In speaking of a number not very accurately defined.

1. Sane frequentes fuimus, omnino *ad* ducentos. — *Cic. ad Quint. Frat.* ii. 1.

2. Omnis [servos] produxi ac vendidi. inscripsi ilico
Ædes mercede, quasi talenta *ad* quindecim
Coegi: agrum hunc mercatus sum: hic me exerceo.
Ter. Heaut. i. 1. 91.

For APUD, to express immediate proximity.

1. Quibus de rebus et alias sæpe nobis multa quæsita et disputata sunt, et quondam in Hortensii villa, quæ est *ad* Baulos, cum eo Catulus et Lucullus nosque ipsi postridie venissemus, quam apud Catulum fuissemus. — *Cic. Lucull.* c. 3.

2. Bellum *ad* Mutinam gerebatur, nihil ut in Cæsare reprehenderes; nonnulla in Hirtio. Hujus belli fortuna, ut in secundis, fluxa: ut in adversis, bona. — *Cic. ad Brut.* ep. 10.

With URBS.

1. Qui simulatque ei sorte provincia Sicilia obvenit, statim Romæ, et *ad* urbem, antequam proficisceretur, quærere ipse secum, et agitare cum suis cœpit, quibusnam rebus in ea provincia maximam uno anno pecuniam facere posset. — *Cic. Verr.* ii. 2. 6.

2. Senati decreto Q. Marcius Rex Fæsulas, Q. Metellus Creticus in Apuliam circumque loca missi (ii utrique *ad* urbem imperatores erant; impediti, ne triumpharent, calumnia paucorum, quibus omnia honesta atque inhonesta vendere mos erat). — *Sall. Cat.* c. 30.

For APUD, *at* or *belonging to* a thing.

1. Defecerant socii: non milites in supplementum, non socios navales ad classem tuendam, non pecuniam in ærario habebamus: servi, quibus arma darentur, ita ut pretium pro iis bello perfecto dominis solveretur, emebantur: in eamdem diem pecuniæ, frumentum et cetera, quæ belli usus postulabant, præbenda publicani se conducturos professi erant: servos *ad* remum, numero ex censu constituto, cum stipendio nostro dabamus. — *Liv.* xxxiv. 6.

2. At certe tamen, inquiunt, quod illic
Natum dicitur esse, comparasti
Ad lecticam homines. *Catull.* x. 14.

For APUD, in point of time.

Semen maturum fit *ad* autumnum. — *Cato R.R.* c. 161.

Explained by the preposition *by*.

Nos hic te *ad* mensem Januarium expectamus. — *Cic. ad Attic.* i. 3.

Followed by a genitive, the accusative being understood.

1. Ventum erat *ad* Vestæ, quarta jam parte diei
Præterita. *Hor. Sat.* i. 9. 35.

2. Tum quoque male pugnatum est, et Janiculum hostes occupavere: obsessaque urbs foret, super bellum annona premente, (transierant enim Etrusci Tiberim) ni Horatius consul ex Volscis esset revocatus: adeoque id bellum ipsis institit mœnibus, ut primo pugnatum *ad* Spei sit æquo Marte, iterum ad portam Collinam. — *Liv.* ii. 51.

For INTER, *at* or *among*.

1. Et dicunt laudes *ad* tua vina tuas.

Ov. Trist. v. 3. 4.

2. Hic multum fleti *ad* superos, belloque caduci
Dardanidæ. *Virg. Æn.* vi. 481.

For APUD, *on*.

Non modo enim pœnam non extimescet, qui mihi vim attulerit: sed etiam gloriam sperabit a latronum gregibus, et præmia. Hæc ego in urbe prævideo: facilis est circumspectus, unde exeam, quo progrediar, quid *ad* dexteram, quid *ad* sinistram sit. Num idem in Apennini tramitibus facere potero? — *Cic. Philipp.* xii. 10, 11.

For APUD, *before* or *with*.

1. Quare te rogo, si opus erit, *ad* Cæsarem meam causam agas, meque tibi in omnes partes defendendum putes. — *Cic. Fam.* v. 10.

2. Causas, Cæsar, egi multas, et quidem tecum, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum: certe nunquam hoc modo, Ignoscite, judices: erravit: lapsus est: non putavit: si unquam posthac. *Ad* parentem sic agi solet. *Ad* judices, Non fecit, non cogitavit, falsi testes, fictum crimen. — *Cic. pro Ligar.* c. 10.

For APUD, *hence ;* in point of time.

Vincam, opinor, animum, et Lanuvio pergam in Tusculanum. Aut enim mihi in perpetuum fundo illo carendum est: (nam dolor idem manebit, tantum mediocrius) aut nescio quid intersit, utrum illuc nunc veniam, an *ad* decem annos. — *Cic. ad Attic.* xii. 46.

For APUD, *at or on occasion of.*

Memini Pamphilum Lilybætanum, hospitem meum, et amicum, nobilem hominem, mihi narrare: cum iste ab sese hydriam Boethi manu factam, præclaro opere, et grandi pondere, per potestatem abstulisset, se sane tristem, et conturbatum domum revertisse, quod vas ejusmodi, quod sibi a patre, et a majoribus esset relictum, quo solitus esset uti *ad* festos dies, *ad* hospitum adventum, a se esset ablatum. — *Cic. Verr.* iv. 14.

For SECUNDUM, *after* or *according to.*

1. ——— Tunc observantior æqui
Fit populus; nec ferre negat, cum viderit ipsum
Auctorem parere sibi. Componitur orbis
Regis *ad* exemplum. *Claud.* IV. *Cons. Hon.* 297.

2. Nullam in amicitiis pestem esse majorem, quam adulationem, blanditiam, assentationem. Quamvis enim multis nominibus est hoc vitium notandum, levium hominum atque fallacium, *ad* voluptatem loquentium omnia, nihil *ad* veritatem. — *Cic. de Amic.* c. 25.

3. Omnes enim, qui probari volunt, voluntatem eorum, qui audiunt, intuentur, *ad* eamque, et *ad* eorum arbitrium et nutum totos se fingunt et accommodant. — *Cic. Orator*, c. 8.

4. ——— Atque ea res multo maxume
Disjunxit illum ab illa; postquam et ipse se,
Et illam, et hanc quæ domi erat, cognovit satis,
Ad amussim ambarum mores earum existumans.
Ter. Hec. i. 2. 85.

Signifying *by.*

Dicit ei quidam ex illis canibus, quos iste Liguri dixerat esse circa se multos: Tu Verres hic quod moliare,

nihil habes, nisi forte vis *ad* perpendiculum columnas exigere. Homo omnium rerum imperitus, quærit, quid sit, *ad* perpendiculum. Dicunt ei, fere nullam esse columnam, quæ *ad* perpendiculum esse possit. Nam mehercule, inquit, sic agamus: columnæ *ad* perpendiculum exigantur.—*Cic. Verr.* ii. 1. 51.

For SECUNDUM, *for*.

His igitur est difficilius satisfacere, qui se Latina scripta dicunt contemnere. In quibus hoc primum est, in quo admirer; cur in gravissimis rebus non delectet eos patrius sermo, cum iidem fabellas Latinas, *ad* verbum de Græcis expressas, non inviti legant.—*Cic. de Fin.* i. 2.

As to or *in point of*, QUOD PERTINET understood.

1. Dices, tua quoque signa et tabulas pictas, ornamento urbi foroque populi Romani fuisse. Memini: vidi simul cum populo Romano forum, comitiumque adornatum *ad* speciem magnifico ornatu; *ad* sensum, cogitationemque acerbo et lugubri. Vidi collucere omnia furtis tuis, præda provinciarum, spoliis sociorum, atque amicorum.—*Cic. Verr.* ii. 1. 22.

2. Urbem Syracusas maximam esse Græcarum urbium, pulcherrimamque omnium, sæpe audistis. Est, judices, ita, ut dicitur. Nam et situ est cum munito, tum ex omni aditu, vel terra, vel mari, præclaro *ad* aspectum: et portus habet prope in ædificatione, aspectuque urbis inclusos.—*Cic. Verr.* ii. 4. 52.

3. Nihil de insignibus *ad* laudem viris obscure nuntiari solet.—*Cic. Fam.* iii. 11.

4. Difficile *ad* fidem est in tam antiqua re, quot pugnaverint ceciderintve, exacto adfirmare numero, audet tamen Antias Valerius concipere summas.—*Liv.* iii. 5.

For, PERTINENS understood.

1. Adhuc, Archylis, quæ adsolent quæque oportet
Signa esse *ad* salutem, omnia huic esse video.
Ter. Andr. iii. 2. 1.

2. ———Hæc sunt tamen *ad* virtutem omnia.
Ter. Heaut. i. 2. 33.

In comparison of.

1. Addidit etiam illud, equites non optimos misisse. Veteres, credo, Cæsar; nihil *ad* tuum equitatum: sed misit ex iis, quos habuit, electos.—*Cic. Deiot.* c. 8.

2. CH. Estne, ut fertur, forma? PA. sane. CH. at
nihil *ad* nostram hanc. PA. alia res.
Ter. Eun. ii. 3. 69.

3. —— Thalem talentó non emam Milesium.
Nam, *ad* sapientiam hujus, nimius nugator fuit.
Plaut. Capt. ii. 2. 24.

For CONTRA, *against* or *opposite to.*

1. Hærent parietibus scalæ, postesque sub ipsos
Nituntur gradibus: clypeosque *ad* tela sinistris
Protecti objiciunt. *Virg. Æn.* ii. 443.

2. Mirari licet, quæ sint animadversa a medicis herbarum genera, quæ radicum *ad* morsus bestiarum, *ad* oculorum morbos, *ad* vulnera: quorum vim atque naturam ratio nunquam explicavit: utilitate et ars est et inventor probatus.—*Cic. Div.* i. 7.

N. B. May be rendered *for.*

3. Hoc *ad* lævigandam cutem in facie, totoque corpore, utuntur.—*Plin. N. H.* xx. 3.

For PRÆTER, *besides* or *in addition to.*

1. Equidem *ad* reliquos labores, quos in hac causa majores suscipio, quam in cæteris, etiam hanc molestiam assumo, quod mihi non solum pro Cn. Plancio dicendum est, . . . sed etiam pro me ipso. — *Cic. Planc.* c. 1.

2. Præterea quorum, victoria Sullæ, parentes proscripti, bona erepta, jus libertatis imminutum erat, haud sane alio animo belli eventum exspectabant. *Ad* hoc, quicumque aliarum atque senati partium erant, conturbari rempublicam, quam minus valere ipsi, malebant. — *Sall. Cat.* c. 37.

For PROPTER or PRO, *for.*

1. Porsena, primo conatu repulsus, consiliis ab obpugnanda urbe ad obsidendam versis, præsidio in Janiculo locato, ipse in plano ripisque Tiberis castra posuit; navibus undique adscitis, et *ad* custodiam, ne quid Romam frumenti subvehi sineret, et ut prædatum milites trans flumen per occasiones aliis atque aliis locis trajiceret. — *Liv.* ii. 11.

2. ——— Argentum dabitur ei *ad* nuptias.

Ter. Heaut. iv. 5. 29.

3. Quamquam mihi semper frequens conspectus vester, multo jucundissimus; hic autem locus, *ad* agendum amplissimus, *ad* dicendum ornatissimus, est visus: tamen hoc aditu laudis, qui semper optimo cuique maxime patuit, non mea me voluntas, sed meæ vitæ rationes ab ineunte ætate susceptæ, prohibuerunt. — *Cic. de Leg. Manil.* c. 1.

4. Piso unum et tricesimum ætatis annum explebat, fama meliore, quam fortuna. Fratres ejus Magnum Claudius, Crassum Nero interfecerant. Ipse diu exul,

quatriduo Cæsar, properata adoptione, *ad* hoc tantum majori fratri prælatus est, ut prior occideretur. — *Tac. Hist.* i. 48.

5. Unum, da mihi ex illis aratoribus, qui tibi vel *ad* statuam pecuniam contulerunt, qui sibi dicat pro frumento omne esse, quod oportuerit, solutum. — *Cic. Verr.* iii. 77.

Signifying the cause.

1. Inde quum actæ boves quædam *ad* desiderium, ut fit, relictarum mugissent, reddita inclusarum ex spelunca boum vox Herculem convertit. — *Liv.* i. 7.

2. Panditur *ad* nullas janua nigra preces.

Propert. iv. 11. 2.

For IN, *unto* or *until*.

1. Quis enim aut eum diligat, quem metuit; aut eum, a quo se metui putat? Coluntur tamen simulatione duntaxat *ad* tempus. Quod si forte (ut fit plerumque) ceciderint: tum intelligitur, quam fuerint inopes amicorum. — *Cic. Amic.* c. 15.

2. De Atimeto supplicium sumtum, validiore apud libidines Principis Paride, quam ut pœna afficeretur. Plautus *ad* præsens silentio transmissus est. — *Tac. Ann.* xiii. 22.

To or *for*, instead of the sign of the dative case.

1. Ego, inquit, jam a principio amici filiam,
Ita ut æquom fuerat, volui uxorem ducere.
Nam mihi venibat in mentem ejus incommodi,
In servitutem pauperem *ad* ditem dari.

Ter. Phorm. iv. 3. 48.

2. Equidem vehementer lætor, eum esse me, in quem tu, cum cuperes, nullam contumeliam jacere potueris, quæ non *ad* maximam partem civium conveniret. — *Cic. pro Syll.* c. 7.

3. Stercus optimum scribit esse Cassius volucrium, præter palustrium, ac nantium. De hisce præstare columbinum, quod sit calidissimum, ac fermentare possit terram. Id ut semen aspergi oportere in agro, non ut de pecore acervatim poni. Ego arbitror præstare ex aviariis turdorum ac merularum, quod non solum *ad* agrum utile, sed etiam *ad* cibum ita, bubus ac suibus, ut fiant pingues. — *Varr. R. R.* i. 38.

CHAPTER III. Page 23.

ADVERSUM or ADVERSUS.

Against or *contrary to.*

1. Interea magna vis accusatorum in eos inrupit, qui pecunias fœnore auctitabant, *adversum* legem dictatoris Cæsaris, qua " de modo credendi, possidendique intra Italiam " cavetur. — *Tac. Ann.* vi. 16.

2. Primum hoc te oro, ne quid credas me *adversum* edictum tuum
Facere esse ausam. *Ter. Heaut.* iv. 1. 10.

Signifying opposition of place.

Ab his Sturium, Phœnice, Phila: Lero, et Lerina *adversum* Antipolim. — *Plin. N. H.* iii. 5.

Before, in the presence of, or *towards.*

1. CH. Vix videtur fieri posse.
MN. Perge, ac facile hæc feceris.
CH. Quam (malum!) facile? quem mendaci prehendit manifestum modo:
Quem si orem, ut mihi nihil credat, id non ausit credere.
MN. Immo, si audias, quæ dicta dixit me *advorsum* tibi. *Plaut. Bacch.* iv. 4. 44.

2. Egone ut te *advorsum* mentiar, mater mea?
Plaut. Aul. iv. 7. 9.

3. P. Incertum'st, quid agam. M. misera timeo, incertum hoc quorsus accidat.
Sed nunc peropu'st, aut hunc cum ipsa, aut de illa me *adversum* hunc loqui.
Ter. Andr. i. 5. 28.

4. Quæ porro pietas ei debetur, a quo nihil acceperis? aut quid omnino, cujus nullum meritum sit, ei deberi potest? Est enim pietas justitia *adversum* deos: cum quibus quid potest nobis esse juris, cum homini nulla cum deo sit communitas? — *Cic. Nat. Deor.* i. 41.

5. Cum hæc scribebam, Censorem te jam esse sperabam. Eo brevior est hæc epistola, et, ut *adversus* magistrum morum, modestior. — *Cic. Fam.* iii. 13.

According to.

Ut *adversus* leges civitatis suæ testetur. — *Ulpian.* tit. xx. 14.

Exadversus, *opposite.*

1. Non multo ante urbem captam exaudita vox est a luco Vestæ, qui a Palatii radice in novam viam devexus est: Ut muri et portæ reficerentur; futurum esse, nisi provisum esset, ut Roma caperetur. Quod neglectum, cum caveri poterat, post acceptam illam maximam cladem explicatum est: ara enim Aio Loquenti, quam septam videmus, *exadversus* eum locum consecrata est. — *Cic. Div.* i. 45.

2. Hic etsi pari prælio discesserant, tamen eodem loco non sunt ausi manere, quod erat periculum ne, si pars navium adversariorum Eubœam superasset, ancipiti premerentur periculo. Quo factum est ut ab Artemisio discederent, et *ex adversum* Athenas apud Salamina classem suam constituerent. — *C. Nep. in Themist.* c. 3.

CHAPTER IV. Page 26.

ANTE.

Before.

1. Consul, ubi silentium in castris, et ne paucos quidem, qui prima luce obambulaverant, parte ulla cernebat, duobus equitibus speculatum in castra præmissis, postquam satis tuta omnia esse exploratum est, inferri signa jussit, tantumque ibi moratus, dum milites ad prædam discurrunt, receptui deinde cecinit, multoque *ante* noctem copias reduxit. — *Liv.* xxvii. 42.

2. Quod pro Cornificio me ab hinc amplius annis XXV. spopondisse dicit Flavius; etsi reus locuples est, et Apuleius prædiator liberalis; tamen velim des operam, ut investiges ex consponsorum tabulis, sitne ita. Mihi enim ante Ædilitatem meam nihil erat cum Cornificio. Potest tamen fieri: sed scire certum velim; et appelles procuratores, si tibi videtur. — *Cic. ad Attic.* xii. 17.

3. Minucius quidam mortuus est *ante* istum prætorem. Ejus testamentum erat nullum. Lege hereditas ad gentem Minuciam veniebat. — *Cic. Verr.* ii. 145.

4. Filius *ante* diem patrios inquirit in annos.

Ovid. Met. i. 148.

On, with DIES.

1. Erat iniqua conditio, postulare ut Cæsar Arimino excederet, atque in provinciam reverteretur, ipsum et

provincias et legiones alienas tenere: exercitum Cæsaris velle dimitti, delectus habere: polliceri, se in provinciam iturum; neque *ante* quem diem iturus sit, definire.— *Cæs. B. Civ.* i. 11.

2. Nos apud Alyziam, ex quo loco tibi literas ante dederamus, unum diem commorati sumus, quod Quintus nos consecutus non erat. Is dies fuit Nonæ Novembr. Inde ante lucem proficiscentes, *ante* diem VIII. Idus Novembr. has literas dedimus. — *Cic. Fam.* xvi. 3.

3. Cornelius Nepos et rerum memoriæ non indiligens, et M. Ciceronis, ut qui maxime, amicus familiaris fuit, atque is tamen in primo librorum, quos de vita illius composuit, errasse videtur; quum eum scripsit tres et viginti annos natum, primam causam judicii publici egisse, Sextumque Roscium parricidii reum defendisse. dinumeratis quippe annis a Q. Cæpione et Q. Serrano, quibus consulibus *ante* diem III. Nonas Januarias M. Cicero natus est, ad M. Tulliam et Cn. Dolabellam, quibus consulibus causam privatam pro Quintio apud Aquilium Gallum judicem dixit, sex et viginti anni reperiuntur.— *A. Gellius*, xv. 28.

With IN or EX prefixed.

1. Meministine, me ante diem XII. Kalendas Novembris, dicere in Senatu, fore in armis certo die, qui dies futurus esset ante diem VI. Kalendas Novembris, C. Mallium, audaciæ satellitem atque administrum tuæ? Num me fefellit, Catilina, non modo res tanta, tam atrox, tam incredibilis, verum, id quod multo magis est admirandum, dies? Dixi ego idem in senatu, cædem te optimatum contulisse *in ante* diem V. Kalendas Novembris. — *Cic. Cat.* i. 3.

2. Lurco autem, tribunus plebis, qui magistratum simul cum lege Ælia iniit, solutus est et Ælia, et Fufia, ut legem de ambitu ferret; quam ille bono auspicio claudus homo promulgavit. Ita comitia *in ante* diem VI. Kal. Sext. dilata sunt. Novi est in lege hoc, ut, qui nummos in tribu pronuntiarit, si non dederit, impune sit; sin dederit, ut, quoad vivat, singulis tribubus H.S. cIↄ cIↄ cIↄ debeat. — *Cic. ad Attic.* i. 16.

3. Ex Illyrico duo legati, C. Licinius Nerva et P. Decius, nunciarunt, "exercitum Illyriorum cæsum: Gentium regem captum, in ditione populi Romani et Illyricum esse." Ob eas res, gestas ductu auspicioque L. Anicii prætoris, senatus in triduum supplicationes decrevit, ut Latinæ edictæ a consule sunt *in ante* quartum et tertium et pridie Idus Novembres. — *Liv.* xlv. 3.

4. Primi [dies] verni [sunt] temporis *ex a.* d. VII. Id. Feb. æstivi *ex a.* d. VII. Id. Maii. autumnales *ex a.* d. VII. Id. Sext. hiberni *ex a.* d. IV. Id. Novemb. — *Varr. R. R.* i. 28.

5. De Quinto fratre nuntii nobis tristes, nec varii, venerant *ex ante* diem Non. Jun. usque ad prid. Kal. Sept. — *Cic. ad Attic.* iii. 17.

Before or *above*, in respect of degree or comparison.

1. Unam, longe *ante* alias specie ac pulchritudine insignem, a globo Talassii cujusdam raptam ferunt: multisque sciscitantibus, cuinam eam ferrent, identidem, ne quis violaret, Talassio ferri clamitatum. — *Liv.* i. 9.

2. —— Regna Tyri germanus habebat
Pygmalion, scelere *ante* alios immanior omnes.
Virg. Æn. i. 346.

3. —— Petit *ante* alios pulcherrimus omnes
Turnus, avis atavisque potens. *Virg. Æn.* vii. 55.

4. Dum "consessum caveæ, discrimina ordinum, quis eques, ubi senatus" percunctantur, advertere quosdam cultu externo in sedibus senatorum: et "quinam forent" rogitantes, postquam audiverant, "earum gentium legatis id honoris datum, quæ virtute et amicitia Romana præcellerent," "nullos mortalium armis aut fide *ante* Germanos esse," exclamant, degrediunturque, et inter patres considunt. — *Tac. Ann.* xiii. 54.

In the presence of or *opposite to.*

1. Et multo imprimis hilarans convivia Baccho,
Ante focum, si frigus erit; si messis, in umbra,
Vina novum fundam calathis Arvisia nectar.
Virg. Ecl. v. 69.

2. Verum, ut ad illud sacrarium redeam, signum erat hoc, quod dico, Cupidinis e marmore: ex altera parte Hercules egregie factus ex ære. Is dicebatur esse Myronis, ut opinor: et certe. Item *ante* hosce deos erant arulæ, quæ cuivis sacrarii religionem significare possent. — *Cic. Verr.* ii. 4. 3.

3. Petimus abs te, M. Fanni, a vobisque, judices, ut quam acerrime maleficia vindicetis: ut quam fortissime hominibus audacissimis resistatis: ut hoc cogitetis, nisi in hac causa, qui vester animus sit, ostendetis, eo prorumpere hominum cupiditatem, et scelus, et audaciam, ut non modo clam, verum etiam hic in foro, *ante* tribunal tuum, M. Fanni, *ante* pedes vestros, judices, inter ipsa subsellia cædes futuræ sint. — *Cic. pro Sext. Rosc. Amer.* c. 5.

Id tempus, or some such expression, understood.

1. Hoc loco discipulos quærere videtur, ut, qui asoti esse velint, philosophi *ante* fiant. — *Cic. de Fin.* ii. 10.

2. Summam eruditionem Græci sitam censebant in nervorum vocumque cantibus. Igitur et Epaminondas, princeps, meo judicio, Græciæ, fidibus præclare cecinisse dicitur: Themistoclesque aliquot *ante* annos, cum in epulis recusaret lyram, habitus est indoctior. — *Cic. Tusc. Quæst.* i. 2.

Apparently redundant.

1. Modo mihi advenienti nugator quidam accessit obviam,
Nimis pergraphicus sycophanta: is mille nummum se aureum
Meo datu tibi ferre; et gnato Lesbonico aibat meo:
Quem ego nec, qui esset, noram, neque eum *ante* usquam conspexi prius.
Plaut. Trinumm. v. 2. 14.

2. ——— Pro deum fidem, quid est, si hoc non contumelia'st?
Uxorem decrerat dare sese mi hodie: nonne oportuit
Præscisse me *ante*? *Ter. Andr.* i. 5. 2.

With adverbs of quantity.

1. Paullo *ante* hic nuncius consulis Salapiam venerat, quum literæ ab Hannibale adlatæ sunt, Marcelli nomine compositæ. — *Liv.* xxvii. 28.

2. Ille autem, cujus gladio occisio erat facta, multo *ante* lucem surrexit, comitem illum suum inclamavit se-

mel et sæpius. Illum somno impeditum non respondere existimavit: ipse gladium, et cætera, quæ secum attulerat, sustulit; solus profectus est. — *Cic. de Invent.* ii. 4.

Os, or some such word, understood.

Est etiam actio quædam corporis, quæ motus et status naturæ congruentes tenet: in quibus si peccetur distortione et depravatione quadam, aut motu statuve deformi, ut si aut manibus ingrediatur quis, aut non *ante*, sed retro; fugere plane se ipse, et hominem ex homine exuens naturam odisse videatur. — *Cic. de Fin.* v. 12.

Adverbially for *first*, OMNIA understood.

Id agendum est, ut *ante* caput, deinde reliqua pars auferatur. — *Cels. de Medicin.* vii. 29.

With QUAM.

1. Causam suscepisti antiquiorem memoria tua: quæ causa *ante* mortua est, *quam* tu natus esses. — *Cic. pro Rabir.* c. 9.

2. Prœlium atrocius, quam pro paucitate resistentium, fuit: nec *ante* finitum est, *quam* tribunus militum, quique circa eum constiterant, interfecti sunt. — *Liv.* xli. 2.

ANTE QUAM inverted.

1. Respice item quam nil ad nos anteacta vetustas
Temporis æterni fuerit, *quam* nascimur *ante*.
Lucret. iii. 985.

2. Victricem laurum, *quam* venit, *ante* vides.
Martial. ix. 36.

CHAPTER V. Page 36.

Apud.

At, signifying the combined presence of place and person.

1. M. Anneio legato imperavi, ut eas quinque cohortes ad reliquum exercitum duceret, coactoque in unum locum exercitu, castra in Lycaonia *apud* Iconium faceret.— *Cic. Fam.* xv. 4.

2. Itaque paulisper *apud* oppidum morati, agrosque Rhemorum depopulati, omnibus vicis ædificiisque, quo adire poterant, incensis, ad castra Cæsaris cum omnibus copiis contenderunt. — *Cæs. B. Gall.* ii. 7.

With a proper name or pronoun signifying the house of a person.

1. Hac controversia usque ad noctem ducta, senatus dimissus: et ego eo die casu *apud* Pompeium cœnavi. — *Cic. Fam.* i. 2.

2. M. Scaurus, quem non longe ruri *apud* se esse audio, vir regendæ reipublicæ scientissimus, si audierit, hanc auctoritatem gravitatis et consilii sui vindicari a te, Crasse, quod eam oratoris propriam esse dicas, jam, credo, huc veniat, et hanc loquacitatem nostram vultu ipso, aspectuque conterreat. — *Cic. de Orat.* i. 49.

3. Ego cum triduum cum Pompeio, et *apud* Pompeium fuissem, proficiscebar Brundusium a. d. XIII. Kal. Junias. — *Cic. ad Attic.* v. 7.

4. Quod Pontinium statueram expectare, commodissimum duxi dies eos, quoad ille veniret, cum Pompeio consumere: eoque magis, quod ei gratum esse id videbam; qui etiam a me petierit, ut secum et *apud* se essem quotidie. — *Cic. ad Attic.* v. 6.

For CUM, *with.*

Crassus, ut quasi testata populo Romano esset nostra gratia, pene a meis laribus in provinciam est profectus. Nam cum mihi condixisset, cœnavit *apud* me in mei generi Crassipedis hortis. — *Cic. ad Fam.* i. 9.

For JUXTA, *near, by.*

Postero die, quam illa erant acta, hora fere secunda, cum etiam tum in lecto Crassus esset, et *apud* eum Sulpicius sederet, Antonius autem inambularet cum Cotta in porticu, repente eo Q. Catulus senex cum C. Julio fratre venit. — *Cic. de Orat.* ii. 3.

Signifying presence, with reference to the operations of the mind.

1. Accedit illa quoque causa, quod a cæteris forsitan ita petitum sit, ut dicerent, ut utrumvis salvo officio se facere posse arbitrarentur. A me autem ii contenderunt, qui *apud* me et amicitia, et beneficiis, et dignitate plurimum possunt: quorum ego neque benevolentiam erga me ignorare, nec auctoritatem aspernari, nec voluntatem negligere debeam. — *Cic. pro Sext. Rosc. Amer.* c. 1.

2. Ego, si ab improbis, et perditis civibus rempublicam teneri viderem, sicut et meis temporibus scimus, et nonnullis aliis accidisse accepimus, non modo præmiis, quæ *apud* me minimum valent; sed ne periculis

quidem compulsus ullis, quibus tamen moventur etiam fortissimi viri, ad eorum causam me adjungerem. — *Cic. Fam.* i. 9.

Signifying presence of mind.

1. Hic nunc non dubitat, quin te ducturum neges.
Venit meditatus alicunde ex solo loco:
Orationem sperat invenisse se,
Qui differat te: proin tu fac *apud* te ut sies.
Ter. Andr. iv. 2. 2.

2. ——— Vix sum *apud* me: ita animus commotust metu,
Spe, gaudio, mirando hoc tanto tam repentino bono.
Ter. Andr. v. 4. 34.

For INTER, *among*.

1. Hæc magnorum hominum sunt; hæc *apud* majores nostros factitata: hæc genera officiorum qui persequuntur, cum summa utilitate reipublicæ magnam ipsi adipiscentur et gratiam, et gloriam. — *Cic. Off.* ii. 24.

2. Cassius Chærea, mox cæde C. Cæsaris memoriam *apud* posteros adeptus, tum adolescens, et animi ferox, inter obstantes et armatos ferro viam patefecit. — *Tac. Ann.* i. 32.

Signifying *in*.

1. Tiberius, nihil intermissa rerum cura, negotia pro solatiis accipiens, jus civium, preces sociorum tractabat. Factaque, auctore eo, senatusconsulta. "ut civitati Cibyraticæ *apud* Asiam, Ægiensi *apud* Achaiam motu terræ labefactis, subveniretur remissione tributi in triennium." — *Tac. Ann.* iv. 13.

2. Inlatusque castris Nero, et congruentia tempori

præfatus, promisso donativo, ad exemplum paternæ largitionis, Imperator consalutatur. Sententiam militum secuta patrum consulta: nec dubitatum est *apud* provincias. — *Tac. Ann.* xii. ult.

For CORAM, *before*.

1. Cum Thebani Lacedæmonios bello superavissent, et fere mos esset Graiis, cum inter se bellum gessissent, ut ii, qui vicissent, tropæum aliquod in finibus statuerent, victoriæ modo in præsentia declarandæ causa, non ut in perpetuum belli memoria maneret; æneum statuerunt tropæum. Accusantur *apud* Amphictyonas, id est, *apud* commune Græciæ concilium. — *Cic. de Invent.* ii. 23.

2. Si quis hunc statuit esse oratorem, qui tantummodo in jure, aut in judiciis possit, aut *apud* populum, aut in senatu copiose loqui, tamen huic ipsi multa tribuat, et concedat necesse est. — *Cic. de Orat.* i. 11.

3. ——— Cur ego *apud* te mentiar?

Plaut. Pœn. i. 1. 24.

Subjoined to its case.

1. Ii, quia neminem gentis Arsacidarum summæ rei imponere poterant, interfectis ab Artabano plerisque, aut nondum adultis, Phraaten, regis Phraatis filium, Roma poscebant: " Nomine tantum et auctore opus, ut sponte Cæsaris, genus Arsacis ripam *apud* Euphratis cerneretur." — *Tac. Ann.* vi. 31.

2. Italiam utroque mari duæ classes, Misenum *apud* et Ravennam, proximumque Galliæ littus rostratæ naves præsidebant, quas Actiaca victoria captas Augustus in oppidum Forojuliense miserat, valido cum remige. — *Tac. Ann.* iv. 5.

CHAPTER VI. Page 42.

CIRCA. CIRCUM. CIRCITER.

SECTION I.

Circa. Circum.

About, or *round about*, to denote place.

1. C. Julius, cum Helvio Manciæ sæpius obstrepenti sibi diceret, "Jam ostendam, qualis sis;" isque plane instaret interrogatione, qualem se tandem ostensurus esset, digito demonstravit imaginem Galli in scuto Mariano Cimbrico pictam, cui Mancia tum simillimus est visus. Tabernæ autem erant *circa* forum, ac scutum illud signi gratia positum. — *Quintil. Instit.* vi. 3. 6.

2. ——— Simul atras
Ventum est Esquilias, aliena negotia centum
Per caput, et *circa* saliunt latus.
Hor. Sat. ii. 6. 32.

3. Texentem telam studiose ipsam offendimus;
Mediocriter vestitam veste lugubri,
Ejus anuis causa opinor quæ erat mortua,
Sine auro: tum ornatam, ita uti quæ ornantur sibi;
Nulla mala re interpolatam muliebri:
Capillus sparsus, promissus, *circum* caput
Rejectus negligenter. *Ter. Heaut.* ii. 3. 45.

About, signifying approximation of time; CIRCA, not CIRCUM.

1. ——— Desine, dulcium
Mater sæva cupidinum,
Circa lustra decem flectere mollibus
Jam durum imperiis. *Hor. Od.* iv. 1. 6.

2. Postero die *circa* eamdem horam in eumdem locum rex copias admovit. — *Liv.* xlii. 57.

3. Floruit autem *circa* Philippum, et usque ad successores Alexandri, pictura præcipue, sed diversis virtutibus. Nam cura Protogenes, ratione Pamphilus ac Melanthius, facilitate Antiphilus, concipiendis visionibus (quas φαντασίας vocant) Theon Samius, ingenio et gratia (quam in se ipse maxime jactat) Apelles est præstantissimus. — *Quintil. Instit.* xii. 10. 6.

4. Nisi aspera ac rudia repetas, et inventi laudanda nomine, in Accio *circa*que eum Romana tragœdia est. — *Paterc.* i. 17.

Signifying approximation of person.

1. Homo Ligurem accusare cœpit, qui in re adventitia atque hereditaria, tam diligens, tam attentus esset: debere eum aiebat suam quoque rationem ducere; multa sibi opus esse, multa canibus suis, quos *circa* se haberet. — *Cic. Verr.* ii. 1. 48.

2. *Circa* regem erat et Phrygum turba, et Macedonum: illa expectatione suspensa, hæc sollicita ex temeraria regis fiducia. — *Q. Curt.* iii. 1. 17.

3. Hectoris hic magni fuerat comes: Hectora *circum*,
Et lituo pugnas insignis obibat et hasta.
Virg. Æn. vi. 166.

CIRCA, *about* or *round;* signifying motion diverging in all directions from a centre.

1. Vigilia quarta inpedimenta exercitus, cujus simulabatur iter, proficisci cœpere. Sub lucem signa mota, et ad portam retentu magmen, custodesque *circa* omnes portas missi, ne quis urbe egrederetur. — *Liv.* xxviii. 26.

2. Jam res Romana adeo erat valida, ut cuilibet finitimarum civitatum bello par esset; sed, penuria mulierum, hominis ætatem duratura magnitudo erat; quippe quibus nec domi spes prolis, nec cum finitimis connubia essent. Tum ex consilio Patrum Romulus legatos *circa* vicinas gentes misit, qui societatem connubiumque novo populo peterent. — *Liv.* i. 9.

CIRCA, *about,* to denote a number not accurately defined.

1. *Circa* quingentos Romanorum sociorumque victores ceciderunt. — *Liv.* xxvii. 42.

2. Per insequentes dies *circa* singulas heminas emittendum. — *Cels. de Medicin.* vii. 15.

CIRCA, *about* or *concerning,* for DE or SUPER.

1. *Circa* Classicum quidem brevis et expeditus labor: sua manu reliquerat scriptum, quid ex quaque re, quid ex quaque causa, accepisset. . . . *Circa* Hispanum et Probum, multum sudoris. — *Plin. Epist.* iii. 9.

2. *Circa* deos ac religiones negligentior; quippe addictus mathematicæ, plenusque persuasionis, cuncta fato agi. — *Suet. in Tiber.* c. 69.

CIRCA and CIRCUM, adverbially.

1. Demessis *circa* segetibus, Romani ad Cranonium intactum agrum castra movent. — *Liv.* xlii. 64.

2. Nostram ambulationem, et Laconicum, eaque quæ *circa* sint, velim, quod poteris, invisas. — *Cic. ad Attic.* iv. 10.

CIRCUM, adverbially, more frequently by the poets.

Nec vero a stabulis pluvia impendente recedunt
Longius, aut credunt cœlo, adventantibus Euris:
Sed *circum* tutæ sub mœnibus urbis aquantur.

Virg. Georg. iv. 191.

SECTION II.

CIRCITER.

To express approximation of time.

1. Nos *circiter* Kal. aut in Formiano erimus, aut in Pompeiano. Tu, si in Formiano non erimus, si nos amas, in Pompeianum venito. — *Cic. ad Att.* ii. 4.

2. ——— Ab officiis octavam *circiter* horam
. . . . . redit. *Hor. Epist.* i. 7. 47.

3. Ita dies *circiter* quindecim iter fecerunt, uti inter novissimum hostium agmen, et nostrum primum, non amplius quinis aut senis millibus passuum interesset. — *Cæs. B. Gall.* i. 15.

Adverbially.

Sed ex omni copia *circiter* pars quarta erat militaribus armis instructa; cæteri, ut quemque casus armaverat, sparos aut lanceas, alii præacutas sudes, portabant. — *Sal. Cat.* c. 56.

CHAPTER VII. Page 48.

CIS. CITRA.

SECTION I.

Cis.

On this side.

1. Itaque ad curam summæ rerum, quieta plebe tribunisque ejus, nihil controversiæ fuit, quin consules crearentur M. Geganius Marcerinus tertium et L. Sergius Fidenas; a bello credo, quod deinde gessit, appellatum. Hic enim primus *cis* Anienem cum rege Veientium secundo prœlio conflixit, nec incruentam victoriam retulit. — *Liv.* iv. 17.

2. Quid enim erat, quod me persequerentur in castra, Taurumve transirent, cum ego Laodicea usque ad Iconium iter ita fecerim, ut me omnium illarum diœcesium, quæ *cis* Taurum sunt, omniumque earum civitatum magistratus, legationesque convenirent? — *Cic. Fam.* iii. 8.

3. Ii [Tusci] in utrumque mare vergentes incoluere urbibus duodenis terras; prius *cis* Apenninum ad inferum mare, postea trans Apenninum, totidem, quot capita originis erant, coloniis missis. — *Liv.* v. 33.

Within, for INTRA; applied to time.

1. Verum, nunc si qua mihi obtigerit hæreditas
Magna atque luculenta, nunc, postquam scio,
Dulce atque amarum quid sit ex pecunia,
Ita ego illam (edepol) servem, ita-que parce victitem,
Ut nulla, faxim, *cis* dies paucos siet.

Plaut. Truc. ii. 3. 23.

2. ——— Liberum
Caput tibi faciam, paucos *cis* menses.

Plaut. Merc. i. 2. 42.

SECTION II.

CITRA.

On this side.

1. Segni Condrusique .... legatos ad Cæsarem miserunt, oratum, ne se in hostium numero duceret, neve omnium Germanorum, qui essent *citra* Rhenum, unam esse caussam judicaret: nihil se de bello cogitasse, nulla Ambiorigi auxilia misisse. — *Cæs. B. Gall.* vi. 39.

2. Est modus in rebus; sunt certi denique fines,
Quos ultra *citra*que nequit consistere rectum.

Hor. Sat. i. 1. 107.

3. Ipsa natura, quasi modularetur hominum orationem, in omni verbo posuit acutam vocem, nec una plus, nec a postrema syllaba *citra* tertiam. — *Cic. Orator.* c. 18.

Short of.

1. Glans [capris abortus creat] cum *citra* satietatem data est. Itaque nisi potest affatim præberi, non est gregi permittenda. — *Columel. R. R.* vii. 6. 5.

2. Amicorum suprema judicia morosissime pensitavit; neque dolore dissimulato, si parcius, aut *citra* honorem verborum, neque gaudio, si grate pieque quis se prosecutus fuisset. — *Suet. in Aug.* c. 66.

3. ——— Peccavi *citra* scelus; utque pudore
Non caret, invidia sic mea culpa caret.
Ov. Trist. v. 8. 23.

Without.

1. Phidias diis, quam hominibus, efficiendis melior artifex traditur, in ebore vero longe *citra* æmulum, vel si nihil, nisi Minervam Athenis, aut Olympium in Elide Jovem, fecisset. — *Quintil. Instit.* xii. 10. 9.

2. Nec minore studio reges atque provincias per terrarum orbem alliciebat; aliis captivorum millia dono offerens; aliis *citra* senatus populique auctoritatem, quo vellent, et quoties vellent, auxilia submittens. — *Suet. in Cæs.* c. 28.

3. Ad dentium dolorem quamvis plurimi dicant forcipes remedium esse, multa tamen *citra* hanc necessitatem scio profuisse. — *Scribon.* c. 53.

Within or *before*, as applied to time.

1. Locis uliginosis, atque exilibus, aut frigidis, aut etiam opacis plerunque *citra* Calendas Octobris seminare convenire, dum sicca tellure licet, dum nubila pendent, ut prius convalescant radices frumentorum, quam hibernis imbribus, aut gelicidiis, pruinisve infestentur. — *Columel. R. R.* ii. 8. 3.

2. Secundum verbi ipsius rationem, qui jussus est intra Kalendas pronunciare, nisi Kalendis pronunciet, contra jussum vocis facit. Nam, si ante id fiat, non intra pronunciat, sed *citra*. Nescio quo autem pacto recepta vulgo interpretatio est absurdissima, ut intra Kalendas significare videatur etiam *citra* Kalendas vel ante Kalendas: nihil enim ferme interest. — *A. Gellius*, xii. 13.

3. Forsitan et Pylius *citra* Trojana perisset
Tempora: sed sumto posita conamine ab hasta,
Arboris insiluit, quæ stabat proxima, ramis.
Ovid. Met. viii. 365.

Adverbially.

1. Profectus apto exercitu, et eo plus fiduciæ ac spei gerente, quod non desiderata multitudo erat, ... ad castra Appii prætoris pergit. paucis *citra* millibus lignatores ei cum præsidio occurrunt. — *Liv.* x. 25.

2. Neutro inclinaverat fortuna, donec, adulta nocte, luna surgens ostenderet acies, falleretque. Sed Flavianis æquior a tergo: hinc majores equorum virorumque umbræ, et falso, ut in corpora, ictu, tela hostium *citra* cadebant. — *Tac. Hist.* iii. 23.

3. Culta quidem (fateor) *citra*, quam debuit illa.
Ovid. ex Pont. i. 7. 55.

CHAPTER VIII. Page 56.

Contra.

Against or *in opposition to.*

1. Omnigenumque deum monstra, et latrator Anubis,
Contra Neptunum et Venerem, *contra*que Minervam
Tela tenent. *Virg. Æn.* viii. 698.

2. Nunc te *contra* victorem facere, quem dubiis rebus lædere noluisti: et ad eos fugatos accedere, quos resistentes sequi nolueris, summæ stultitiæ est. — *Cic. Fam.* viii. 16.

Against, *contrary to*, or *beyond.*

1. Quum *contra* exspectationem omnium, Cæsar Uxellodunum venisset, oppidumque operibus clausum animadverteret, ... aqua prohibere hostem tentare cœpit. — *Cæs. B. Gall.* viii. 40.

2. Quumque res Romana *contra* spem votaque ejus velut resurgeret, turpius videatur novam referre proditionem proditis olim. — *Liv.* xxiv. 45.

Opposite to, in point of situation.

Nostræ naves II, tardius cursu confecto, in noctem conjectæ, quum ignorarent quem locum reliquæ cepissent, *contra* Lissum in anchoris constiterunt. — *Cæs. B. Civ.* iii. 28.

On the other hand, adverbially.

Beate vivere alii in alio, vos in voluptate ponitis, item *contra*, omnem infelicitatem in dolore.—*Cic. de Fin.* ii. 27.

Adverbially, signifying opposition in point of situation.

1. Stat *contra*, farique jubet. — *Juv. Sat.* iii. 290.

2. In Orientem Germaniæ, in Occidentem Hispaniæ obtenditur: Gallis in Meridiem etiam inspicitur: Septemtrionalia ejus, nullis *contra* terris, vasto atque aperto mari pulsantur. — *Tac. Agric.* c. 10.

Contra ac or atque.

1. Jam enim faciam, criminibus omnibus fere dissolutis, *contra*, *atque* in cæteris causis fieri solet, ut nunc denique de vita hominis ac de moribus dicam.—*Cic. pro Syl.* c. 24.

2. Vides tamen omnia fere *contra*, *ac* dicta sunt, evenisse. — *Cic. de Div.* ii. 24.

Contra quam.

Edicere est ausus, ... ut senatus, *contra quam* ipse censuisset, ad vestitum rediret. — *Cic. in Pison.* c. 8.

Contra, expressive of price.

Ph. Auro *contra* cedo modestum amatorem: a me aurum accipe.

Pa. Cedo mihi *contra* aurichalco, quoi ego sano serviam. *Plaut. Curcul.* i. 3. 45.

CHAPTER IX. Page 60.

Erga.

1. Constituendi autem sunt, qui sint in amicitia fines, et quasi termini diligendi: de quibus tres video sententias ferri; quarum nullam probo. Unam, ut eodem modo *erga* amicum affecti simus, quo *erga* nosmetipsos. Alteram, ut nostra in amicos benevolentia, illorum *erga* nos benevolentiæ pariter æqualiterque respondeat. Tertiam, ut quanti quisque seipse facit, tanti fiat ab amicis. — *Cic. de Amic.* c. 16.

2. Valet igitur multum ad vincendum, probari mores, instituta, et facta, et vitam eorum, qui agent causas, et eorum, pro quibus: et item improbari adversariorum: animosque eorum, apud quos agitur, conciliari quam maxime ad benevolentiam cum *erga* oratorem, tum *erga* illum, pro quo dicet orator. — *Cic. de Orat.* c. 43.

CHAPTER X. Page 62.

Extra.

Without.

1. Ego, si foris cœnitarem, Cn. Octavio, familiari tuo, non defuissem. Cui tamen dixi, cum me aliquoties invitaret: Oro te, quis tu es? Sed mehercules, *extra* jocum, homo bellus est. — *Cic. ad Fam.* vii. 16.

2. Ipsi [Galbæ] medium ingenium, magis *extra* vitia, quam cum virtutibus. — *Tac. Hist.* i. 48.

3. In urbe sepeliri lex vetat. Sic decretum a pontificum collegio, non esse jus in loco publico fieri sepulcrum. Nostis *extra* portam Collinam, ædem Honoris: et aram in eo loco fuisse, memoriæ proditum est. Ad eam cum lamina esset inventa, et in ea scriptum, Numini Honoris: ea causa fuit ædis hujus dedicandæ. Sed cum multa in eo loco sepulcra fuissent, exarata sunt. Statuit enim collegium, locum publicum non potuisse privata religione obligari. — *Cic. de Leg.* ii. 23.

Beyond.

1. Cavendum autem est, præsertim si ipse ædifices, ne *extra* modum sumptu et magnificentia prodeas: quo in genere multum mali etiam in exemplo est. — *Cic. de Offic.* i. 39.

2. Hoc perspicuum est, cum is, qui de omnibus scierit, de Sylla se scire negarit; eandem vim esse negationis hujus, quam si *extra* conjurationem hunc esse, se scire dixisset. — *Cic. pro Syl.* c. 13.

For SUPRA, *above* or *exceeding.*

1. Sese [Deus] . . . . *extra* omnem culpam causamque posuit. — *Cic. Tim.* c. 13.

2. Magnitudine [Venus] *extra* cuncta alia sidera est: claritatis quidem tantæ, ut unius hujus stellæ radiis umbræ reddantur. — *Plin. N. H.* ii. 8.

For PRÆTER, *besides* or *except.*

1. Modo quandam vidi virginem hic viciniæ
Miseram, suam matrem lamentari mortuam:
Ea sita erat exadvorsum. neque illi benevolens
Neque notus neque cognatus *extra* unam aniculam
Quisquam aderat, qui adjutaret funus.

Ter. Phorm. i. 2. 45.

2. Primum neque magnas copias, neque bellicosas: deinde, *extra* ducem, paucosque præterea, ... reliqui primum in ipso bello rapaces: deinde in oratione ita crudeles, ut ipsam victoriam horrerem. — *Cic. ad Fam.* vii. 3.

With QUAM, to signify an exception; forensic.

Agit is, cui manus præcisa est, injuriarum. Postulat is, quicum agitur, a prætore exceptionem, *Extra quam* in reum capitis præjudicium fiat. — *Cic. de Invent.* ii. 20.

Adverbially.

1. Eminebit [anima] foras, et ea, quæ *extra* erunt, contemplans, quam maxime se a corpore abstrahet. — *Cic. Somn. Scip.* sub fin.

2. Sinistro cornu milites, quum ex vallo Pompeium adesse, et suos fugere cernerent, veriti ne angustiis intercluderentur, quum *extra* et intus hostem haberent, eodem, quo venerant, receptui consulebant. — *Cæs. B. Civ.* iii. 69.

CHAPTER XI. Page 66.

INFRA.

Below, beneath.

1. Accubueram hora nona, cum ad te harum exemplum in codicillis exaravi. Dices, ubi? Apud Volumnium Eutrapelum, et quidem supra me Atticus, *infra* Verrius, familiares tui. — *Cic. ad Fam.* ix. 26.

2. ———— Quidquid sum ego, quamvis
Infra Lucili censum ingeniumque, tamen me
Cum magnis vixisse invita fatebitur usque
Invidia. *Hor. Sat.* ii. 1. 74.

With OMNIS.

1. Tace tu: quem ego *infra* esse infimos omnes puto
Homines. *Ter. Eun.* iii. 2. 36.

2. Ego iis, a quibus ejectus sum, provincias obtinentibus, inimico autem optimo viro et mitissimo, altero consule referente, reductus sum: cum is inimicus, qui ad meam perniciem vocem suam communibus hostibus præbuisset, spiritu duntaxat viveret, re quidem *infra* omnes mortuos amandatus esset. — *Cic. post red. ad Quirit.* c. 4.

Within, less than.

1. Ova incubari *infra* decem dies edita utilissimum.— *Plin. N. H.* x. 54.

2. Vulnera recentia conglutinant terreni, adeo ut nervos quoque abscissos illitis solidari *infra* septimum diem persuasio sit. — *Plin. N. H.* xxx. 13.

3. A Calendis Novembris gallinis ova supponere nolito, donec bruma conficiatur. In eum diem ternadena subjicito æstate tota, hieme pauciora, non tamen *infra* novena. — *Plin. N. H.* xviii. 26.

Adverbially.

Literæ mihi a L. Domitio a. d. XIII. Kalend. Mart. allatæ sunt: earum exemplum *infra* scripsi. — *Cic. ad Attic.* viii. 6.

CHAPTER XII. Page 69.

Inter.

Between.

1. [Ea caritas] quæ est *inter* natos et parentes, dirimi, nisi detestabili scelere non potest. — *Cic. de Amic.* c. 8.

2. Fecisti mihi pergratum, quod Serapionis librum ad me misisti: ex quo quidem ego, quod *inter* nos liceat dicere, millesimam partem vix intelligo. — *Cic. ad Attic.* ii. 4.

For invicem, *one another.*

1. Valent pueri, studiose discunt, diligenter docentur, et nos, et *inter* se amant. — *Cic. ad Q. Fratr.* iii. 3.

2. Quamobrem hoc quidem constat, ut opinor, bonis *inter* bonos quasi necessariam benevolentiam esse. — *Cic. de Amic.* c. 14.

3. Vis ergo *inter* nos, quid possit uterque, vicissim
Experiamur. *Virg. Ecl.* iii. 28.

Repeated redundantly.

1. ——— Nestor componere lites
Inter Peleidem festinat et *inter* Atreiden.
Hor. Epist. i. 2. 8.

2. Concio, quæ ex imperitissimis constat, tamen judicare volet, quid intersit *inter* popularem, id est, assen-

tatorem et levem civem, et *inter* constantem, severum, et gravem. — *Cic. de Amic.* c. 25.

Among or *amidst*.

1. Quæ est igitur melior in hominum genere natura, quam eorum, qui se natos ad homines juvandos, tutandos, conservandos arbitrantur? Abiit ad deos Hercules. Nunquam abiisset, nisi cum *inter* homines esset, eam sibi viam munivisset. — *Cic. Tusc. Quæst.* i. 14.

2. Cognito repente insperato gaudio expirasse animam refert Aristoteles philosophus Polycritam nobilem feminam Naxo insula. Philippides quoque comœdiarum poeta haud ignobilis, ætate jam edita, quum in certamine poetarum præter spem vicisset, et lætissime gauderet; *inter* illud gaudium repente mortuus est. — *A. Gellius*, iii. 15.

During, *at*, or *on*.

1. Si *inter* cœnam, in ipsis tuis immanibus illis poculis, hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? — *Cic. Phil.* ii. 25.

2. Illuseras heri *inter* scyphos: quod dixeram, controversiam esse, possetne heres, quod furtum antea factum esset, furti recte agere. Itaque, etsi domum bene potus seroque redieram, tamen id caput, ubi hæc controversia est, notavi, et descriptum tibi misi: ut scires, id, quod tu neminem sensisse dicebas, Sex. Ælium, M. Manilium, M. Brutum sensisse. — *Cic. ad Fam.* vii. 22.

3. Quare nolite dubitare, quin huic uni credatis omnia, qui *inter* annos tot unus inventus sit, quem socii in urbes suas cum exercitu venisse gaudeant. — *Cic. pro Leg. Manil.* c. 23.

4. Spes etiam valida solatur compede vinctum:
Crura sonant ferro; sed canit *inter* opus.
Tibull. ii. 6. 25.

5. ——— Istuc mihi cibus est, quod fabulare:
Sed, *inter* rem agundam istam, heræ huic respondi, quod rogabat. *Plaut. Cistell.* iv. 2. 54.

After its case.

Virtutum amicitia adjutrix a natura data est, non vitiorum comes: ut, quoniam solitaria non posset virtus ad ea, quæ summa sunt, pervenire, conjuncta et consociata cum altera perveniret; quæ si quos *inter* societas aut est, aut fuit, aut futura est, eorum est habendus ad summum naturæ bonum optimus beatissimusque comitatus. — *Cic. de Amic.* c. 22.

Between two substantives.

1. Regio erat in primis Italiæ fertilis, Etrusci campi, qui Fæsulas *inter* Arretiumque jacent, frumenti ac pecoris et omnium copia rerum opulenti. — *Liv.* xxii. 3.

2. Est Judæam *inter* Syriamque Carmelus. — *Tac. Hist.* ii. 78.

3. Tectum *inter* et laquearia, tres senatores, haud minus turpi latebra, quam detestanda fraude, sese abstrudunt; foraminibus et rimis aurem admovent. — *Tac. Ann.* iv. 69.

CHAPTER XIII. Page 74.

Intra.

Within, signifying time.

1. *Intra* decimum diem, quam Pheras venerat, his perfectis, Cranonem, profectus cum toto exercitu, primo adventu cepit. — *Liv.* xxxvi. 10.

2. Qui jubetur *intra* kalendas pronunciare, is et ante kalendas, et ipsis kalendis jure pronunciare potest; neque id fit quasi privilegio quodam insitæ consuetudinis, sed certa rationis observatione: quoniam omne tempus, quod kalendarum die includitur *intra* kalendas esse recte dicitur. — *A. Gell.* xii. 13.

Within, signifying place.

1. Qui regnat *intra* montem Taurum, non solum in monte Tauro regnat, sed in his etiam regionibus quæ Tauro monte clauduntur. — *A. Gell.* xii. 13.

2. Hic utrum tandem sum accusandus, quod doleo; an quod commisi, ut hæc aut non retinerem, (quod facile fuisset, nisi *intra* parietes meos de mea pernicie consilia inirentur) aut certe vivus nunc amitterem? — *Cic. ad Attic.* iii. 10.

Within bounds, below.

1. Sic igitur vivitur: quotidie aliquid legitur, aut scribitur: dein, ne amicis nihil tribuamus, epulamur una

non modo non contra legem, si ulla nunc lex est: sed etiam *intra* legem, et quidem aliquanto. — *Cic. ad Fam.* ix. 26.

2. Ne dicamus omnia clamose, quod insanum est, aut *intra* loquendi modum, quod motu caret. — *Quintil. Instit.* xi. 3.

3. Utinam Philotas quoque *intra* verba peccasset. — *Q. Curt.* vii. 1. 25.

Adverbially.

Nihil est tamen certius, quam vasa fictilia facere, quæ singulas uvas laxe recipiant. ea debent quatuor ansas habere, quibus illigata viti dependeant: itemque opercula eorum sic formari, ut media divisa sint, ut cum suspensa vasa singulas uvas receperint, ex utroque latere appositi operculi duæ partes coeant, et contegant uvas. et hæc vasa, et opercula extrinsecus et *intra* diligenter picata esse debebunt. — *Columell. R. R.* xii. 43.

CHAPTER XIV. Page 77.

Juxta.

Near or *by the side of.*

1. *Juxta* genitorem adstat Lavinia virgo.

Virg. Æn. vii. 72.

2. Sepultus est [Atticus] *juxta* viam Appiam, ad quintum lapidem. — *Corn. Nep. Attic.* sub fin.

Next to.

1. Neque ego inficias eo, Patres conscripti, tam sponsiones quam fœdera sancta esse apud eos homines, apud quos *juxta* divinas religiones fides humana colitur. — *Liv.* ix. 9.

2. *Juxta* deos, in tua manu positum est. — *Tac. Hist.* ii. 76.

Akin to.

Equestrium sane virium id proprium, cito parare victoriam, cito cedere. Velocitas *juxta* formidinem, cunctatio propïor constantiæ est. — *Tac. Germ.* c. 30.

Next after.

Nigidius Figulus, homo, ut ego arbitror, *juxta* M. Varronem doctissimus, in undecimo commentariorum grammaticorum refert versum ex antiquo carmine memoria hercle dignum : —

"Religentem esse oportet; religiosum nefas."

Cujus autem id carmen sit, non scribit. — *A. Gell.* iv. 9.

For SECUNDUM, *according to.*

Cum anceps prœlium esset, Iones, *juxta* præceptum Themistoclis, pugnæ se paulatim subtrahere cœperunt. —*Justin.* ii. 12.

Alike, equally; adverbially.

1. Eorum ego vitam mortemque *juxta* æstumo, quoniam de utraque siletur. — *Sall. Cat.* c. 2.

2. Ita neque caveri anceps malum, neque a fortissimis infirmissimo generi resisti posse: *juxta* boni malique, strenui et imbelles, inulti obtruncati. — *Sall. Jug.* c. 67.

As much as or *no more than*, with CUM.

1. —— An nescis, quæ sit hæc res? *Juxta* cum ignarissimis. *Plaut. Pseud.* iv. 7. 62.

2. *Juxta* eam cura cum mea. *Plaut. Trin.* i. 2. 160.

CUM omitted.

Quum multa, succedentes temere mœnibus, Romani milites acciperent vulnera, neque satis inceptis succederet, Fabius, omittendam rem parvam ac *juxta* magnis difficilem, abscedendumque inde censebat, quum res majores instarent. — *Liv.* xxiv. 19.

CHAPTER XV. Page 81.

Ob.

For or *on account of.*

1. Si, qui *ob* aliquod emolumentum suum cupidius aliquid dicere videntur, iis credi non convenit: credo majus emolumentum Cæpionibus, et Metellis propositum fuisse ex Q. Pompeii damnatione, cum studiorum suorum obtrectatorem sustulissent, quam cunctæ Galliæ ex M. Fonteii calamitate. — *Cic. pro Font.* c. 8.

2. Etenim si illud est flagitiosum (quod mihi omnium rerum turpissimum, maximeque nefarium videtur) *ob* rem judicandam pecuniam accipere, pretio habere addictam fidem et religionem: quanto illud flagitiosius, improbius, indignius, eum, a quo pecuniam *ob* absolvendum acceperis, condemnare. — *Cic. in Verr.* ii. 2. 32.

With res, signifying *to the purpose.*

1. —— P. Non pudet
Vanitatis? D. Minume, dum *ob rem.*
Ter. Phor. iii. 2. 40.

2. Certe ego libertatem, quæ mihi a parente tradita est, experiar: verum, id frustra an *ob rem* faciam, in vestra manu situm, Quirites. — *Sall. Jug.* c. 31.

For ANTE, *before*.

1. Dominatus est cnim, inquit, Alexandriæ. Immo vero in superbissimo dominatu fuit: pertulit ipse custodiam: vidit in vinculis familiares suos: mors *ob* oculos sæpe versata est: nudus, atque egens ad extremum fugit e regno. — *Cic. pro Rabir. Post.* c. 14.

2. In tanta improborum multitudine cum res tantas gerebam, non mihi mors, non exilium *ob* oculos versabantur? — *Cic. pro Sext.* c. 21.

3. Hiccine est Telamo ille, modo quem gloria ad
cœlum extulit?
Quem aspectabant? cujus *ob* os Graii ora obvertebant sua? *Cic. Tusc. Quæst.* iii. 18.

CHAPTER XVI. Page 84.

Penes.

Penes te, amplius est quam *apud te;* nam *apud te* est quod qualiter a te teneatur, *penes te* est quod quodam modo a te possidetur. — *Ulp. Dig. L.* tit. 16. leg. 53.

In the power of or *possession of.*

1. Si vitiosum est dicere ornate, pellatur omnino e civitate eloquentia. Sin ea non modo eos ornat, *penes* quos est, sed etiam universam rempublicam: cur aut discere turpe est, quod scire honestum est: aut, quod nosse pulcherrimum est, id non gloriosum docere?—*Cic. Orat.* c. 41.

2. Me *penes* est unum vasti custodia mundi.
Ovid. Fast. i. 119.

3. Hi [servi] centum dies *penes* accusatorem cum fuissent, ab eo ipso accusatore producti sunt. — *Cic. pro Milon. c.* 22.

With, joined with sum.

1. Fides ejus rei *penes* auctores *erit.*— *Sall. Jug.* c. 17.

2. Sic enim intellexi, nihil aliud esse, quod dubitationem afferret ei, *penes* quem *est* potestas, nisi quod vereretur, ne tu illud beneficium omnino non putares. — *Cic. ad Fam.* iv. 7.

3. Et quum consules nihilo minus adversus continuationem tribunatus, quam si lex minuendæ suæ majestatis caussa promulgata ferretur, tetendissent, victoria certaminis *penes* tribunos *fuit*. — *Liv.* iii. 24.

4. —— Quid? istæc jam *penes* vos psaltria *est?*
Ellam intus. *Ter. Adelph.* iii. 3. 34.

CHAPTER XVII. Page 86.

Per.

Through, denoting transition.

1. ——— Extremos curris mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, *per* saxa, *per* ignes.
Hor. Epist. i. 1. 45.

2. Ego te, quæcunque rogabo, de te ipso rogabo; neque te ex amplissimi viri dignitate, sed ex tuis tenebris extraham; omniaque mea tela sic in te conjicientur, ut nemo *per* tuum latus (quod soles dicere) saucietur. In tuis pulmonibus ac visceribus hærebunt. — *Cic. in Vatin.* c. 5.

Through or *for*, signifying continuation of space.

Hippos Alexander *per* duo stadia continenti annexuit. —*Plin. N. H.* v. 29.

Through, *for*, or *at*, signifying continuation of time.

1. *Per* totum hoc tempus, subjectior in diem et horam
Invidiæ. *Hor. Sat.* ii. 6. 47.

2. Post impetratam studiis meis quietem, quæ *per* viginti annos erudiendis juvenibus impenderam, cum a

me quidam familiariter postularent, ut aliquid de ratione dicendi componerem, diu sum equidem reluctatus; quod auctores utriusque linguæ clarissimos non ignorabam multa, quæ ad hoc opus pertinerent, diligentissime scripta posteris reliquisse. — *Quintil. Instit.* procem.

3. Mihi videntur cætera studia recta atque honesta, *per* otium concelebrata ab optimis, enituisse: hoc vero a plerisque eorum desertum obsolevisse eo tempore, quo multo vehementius erat retinendum, et studiosius adaugendum. — *Cic. de Inven.* i. 3.

Through, signifying the instrument.

1. Post hæc diductis malis, . . . totum eorum palatum sale defricato, . . . ac vini singulos sextarios *per* cornu faucibus infundito. — *Columel. R. R.* vi. 2.

2. Quis vero opifex, præter naturam, qua nihil potest esse callidius, tantam solertiam persequi potuisset in sensibus? Quæ primum oculos membranis tenuissimis vestivit et sepsit: quas primum perlucidas fecit, ut *per* eas cerni posset; firmas autem, ut continerentur. — *Cic. de Nat. Deor.* ii. 57.

Through, *by*, or *under pretence* or *on account of*, signifying the cause.

1. Si Fannius Roscium fraudasse diceretur, utrumque ex utriusque persona verisimile videretur, et Fannium *per* malitiam fecisse, et Roscium *per* imprudentiam deceptum esse: sic cum Roscius Fannium fraudasse arguatur, utrumque incredibile est, et Roscium quidquam *per* avaritiam appetisse, et Fannium quidquam *per* se bonitate amisisse. — *Cic. pro Quint. Rosc. Com.* c. 7.

2. Immo abeat potius malo quovis gentium,
Quam hic *per* flagitium ad inopiam redigat patrem.
Ter. Heaut. v. i. 55.

3. Si quis, quod spopondit, qua in re verbo se uno obligavit, id non facit, maturo judicio, sine ulla religione judicis condemnatur. Qui *per* tutelam, aut societatem, aut rem mandatam, aut fiduciæ rationem, fraudavit quempiam, in eo, quo delictum majus est, eo pœna est tardior. — *Cic. pro Cæcin.* c. 3.

4. ——— Matris nomen et patris
Dicebat ipsa: patriam et signa cetera
Neque scibat, neque *per* ætatem etiam potis erat.
Ter. Eun. i. 2. 32.

Through, *by*, *with*, or *in*, signifying the means.

1. Non dubitavi, inquit, cum vadimonium desertum esset, bona proscribere. Quid si nunquam deseruit? si ista causa abs te tota *per* summam fraudem et malitiam ficta est? si vadimonium omnino tibi cum P. Quintio nullum fuit? — *Cic. pro P. Quint.* c. 18.

2. Germanicum, Druso ortum, octo apud Rhenum legionibus imposuit, adscirique *per* adoptionem a Tiberio jussit. — *Tac. Annal.* i. 3.

3. Cæsar mihi ignoscit *per* literas, quod non venerim; seseque in optimam partem id accipere dicit. — *Cic. ad Attic.* x. 3.

4. De quo judicio si velim dicere omnia, multi appellandi, lædendique sunt: quod mihi non est necesse. Tantum dicam, paucos homines, ut levissime dicam, arrogantes, hoc adjutore, Q. Opimium *per* ludum et jocum, fortunis omnibus evertisse. — *Cic. in Verr.* ii. 1. 60.

By, with leave or *permission of.*

1. Ancillas dedo: quolubet cruciatu *per* me exquire. *Ter. Hec.* v. 2. 7.

2. *Per* nos quidem, (hercle) egebit, qui suum prodegerit. *Plaut. Merc.* v. 4. 60.

3. Quis ignorat, maximam illecebram esse peccandi impunitatis spem? In utro igitur hæc fuit? In Milone? qui etiam nunc reus est facti, aut præclari, aut certe necessarii? an in Clodio? qui ita judicia, pœnamque contempserat, ut eum nihil delectaret, quod aut *per* naturam fas esset, aut *per* leges liceret? — *Cic. pro Mil.* c. 16.

By, in supplication or adjuration.

Obsecravit *per* fratris sui mortui cinerem, *per* nomen propinquitatis, *per* ipsius conjugem et liberos, quibus propior P. Quintio nemo est, ut aliquando misericordiam caperet. — *Cic. pro Quint.* c. 31.

Separated from the substantive it governs by EGO and TU, and sometimes also by the article, in adjuration.

1. *Per* ego te deos oro, ut ne illis animum inducas credere,
Quibus id maxume utile 'st, illum esse quam deterrimum. *Ter. And.* v. 1. 15.

2. *Per* ego te, fili, quæcumque jura liberos jungunt parentibus, precor quæsoque, ne ante oculos patris facere et pati omnia infanda velis. —*Liv.* xxiii. 9.

3. Iliacas *per* te flammas, Tarpejaque saxa,
Per patrios, Consul, muros, suspensaque nostræ

Eventu pugnæ natorum pignora, cedas
Oramus Superis, tempusque ad prœlia dextrum
Opperiare. *Sil. Ital.* v. 82.

4. ——— *Per* ego has lacrymas dextramque tuam te ....
Oro. *Virg. Æn.* iv. 314.

5. ——— *Per* ego te hæc genua obtestor, senex
Quisquis es. *Plaut. Rud.* iii. 2. 13.

By, in attestation or swearing.

1. Ubi semel quis pejeraverit, ei credi postea, etiam si *per* plures deos juret, non oportet. — *Cic. pro Rab. Post.* c. 13.

2. *Per* solis radios, Tarpeiaque fulmina jurat,
Et Martis frameam, et Cirrhæi spicula vatis;
Per calamos venatricis, pharetramque puellæ,
*Per*que tuum, pater Ægæi Neptune, tridentem.
Juv. Sat. xiii. 78.

With SE.

1. [Plerique] amicos, tanquam pecudes, eos potissimum diligunt, ex quibus sperant se maximum fructum esse capturos. Ita pulcherrima illa et maxime naturali carent amicitia, *per se* et propter se expetenda. — *Cic. de Amic.* c. 21.

2. Nunquam se ille [Scipio] Philo, nunquam Rupilio, nunquam Mummio anteposuit, nunquam inferioris ordinis amicis. Q. vero Maximum fratrem, egregium virum, omnino sibi nequaquam parem, quod is anteibat ætate, tanquam superiorem colebat; suosque omnes *per se* esse ampliores volebat. — *Cic. de Amic.* c. 19.

3. Mihi de amicitia cogitanti, maxime illud conside-

randum videri solet: num propter imbecillitatem atque inopiam desiderata sit amicitia; ut dandis recipiendisque meritis, quod quisque minus *per se* ipse posset, id acciperet ab alio, vicissimque redderet? — *Cic. de Amic.* c. 8.

4. Quod quæritur sæpe, cur tam multi sunt Epicurei: sunt aliæ quoque causæ: sed multitudinem hoc maxime allicit, quod ita putat dici ab illo, recta et honesta quæ sint, ea facere ipsa *per se* lætitiam, id est, voluptatem. Homines optimi non intelligunt totam rationem everti, si ita se res habeat. Nam si concederetur, etiam si ad corpus nihil referatur, ista sua sponte et *per se* esse jucunda; *per se* esset et virtus, et cognitio rerum, quod minime ille vult, expetenda. — *Cic. de Fin.* i. 7.

5. Absurdum est dicere, cum homines bestiæque hoc calore teneantur, et propterea moveantur ac sentiant, mundum esse sine sensu: qui integro, et puro, et libero, eodemque acerrimo et mobilissimo ardore teneatur. Præsertim cum is ardor, qui est mundi, non agitatus ab alio, neque externo pulsu, sed *per se* ipse ac sua sponte moveatur. — *Cic. de Nat. Deor.* ii. 11.

With a neuter adjective.

1. Talia dum pandit, vicinus parte sinistra
Per subitum erumpit clamor. *Sil. Ital.* x. 504.

2. —— Haud dum enses stricti, mediumque jacebat
Tantum ad bella loci, quantum transmittere jactæ
Sufficerent hastæ, cum fulgor hebescere cœli
Per subitum cœpit, densæque subire tenebræ.
Sil. Ital. xii. 651.

3. Ceu septem surgens sedatis amnibus altus
Per tacitum Ganges. *Virg. Æn.* ix. 30.

4. Ductor defixos Itala tellure tenebat
Intentus vultus, manantesque ora rigabant
Per tacitum lacrimæ. *Sil. Ital.* xvii. 214.

Intensive.

1. *Per* mihi, *per*, inquam, *gratum* feceris, si in hoc tam diligens fueris, quam soles in his rebus, quas me valde velle arbitraris. — *Cic. ad Attic.* i. 20.

2. Crassus vero mihi noster visus est oratoris facultatem non illius artis terminis, sed ingenii sui finibus, immensis pene, describere. Nam et civitatum regendarum oratori gubernacula sententia sua tradidit: in quo *per* mihi *mirum* visum est, Scævola, te hoc illi concedere; cum sæpissime tibi senatus breviter impoliteque dicenti maximis sit de rebus assensus. — *Cic. de Orat.* i. 49.

3. Tertio Nonas cum in Laterium fratris venissem, accepi literas, et paulum respiravi: quod post has ruinas mihi non acciderat. *Per* enim *magni* æstimo, tibi firmitudinem animi nostri, et factum nostrum probari. — *Cic. ad Attic.* x. 1.

CHAPTER XVIII. Page 97.

Pone.

Behind.

1. Quievere in castris Celtiberi, quia pugnæ copia non fiebat: equites tantum in stationem egrediebantur, ut parati essent, si quid ab hoste moveretur. *Pone* castra utrique pabulatum et lignatum ibant, neutri alteros inpedientes. — *Liv.* xl. 30.

2. Vinctæ *pone* tergum manus: laniata veste, fœdum spectaculum, ducebatur, multis increpantibus, nullo inlacrymante; deformitas exitus misericordiam abstulerat. — *Tac. Hist.* iii. 85.

3. *Pone* nos recede. *Plaut. Pœn.* iii. 2. 34.

Adverbially.

1. ——— Dextræ se parvus Iülus
Implicuit, sequiturque patrem non passibus æquis.
Pone subit conjux. *Virg. Æn.* ii. 723.

2. Ita totum animal movebatur illud quidem, sed immoderate, et fortuitu, ut sex motibus veheretur. Nam et ante, et *pone*, ad lævam, et ad dextram, et sursum, et deorsum, modo huc, modo illuc. — *Cic. Timæus*, c. 13.

CHAPTER XIX. Page 99.

Post.

Behind, applied to place.

1. Repente *post* tergum equitatus cernitur. — *Cæs. B. G.* vii. 88.

2. Ille ex castris prima vigilia egressus, prope confecto sub lucem itinere, *post* montem se occultavit. — *Cæs. B. G.* vii. 83.

3. Tu *post* carecta latebas. *Virg. Ecl.* iii. 20.

After, in point of time.

1. *Post* mortem, in morte nihil est, quod metuam, mali. *Plaut. Capt.* iii. 5. 83.

2. Abi, stultus; sero *post* tempus venis. *Plaut. Capt.* iv. 2. 90.

3. Brundusium veni a. d. xiv. Kal. Maias. Eo die pueri tui mihi a te literas reddiderunt: et alii pueri *post* diem tertium ejus diei alias literas attulerunt. — *Cic. ad Attic.* iii. 7.

4. Etenim, cum pro sua patria pauci *post* genus hominum natum reperti sint, qui nullis præmiis propositis, vitam suam hostium telis objecerint: pro aliena republica quemquam fore putatis, qui se opponat periculis, non modo nullo proposito præmio, sed etiam interdicto? — *Cic. pro Balb.* c. 10.

5. Quadringentesimo anno, quam urbs Romana condita erat, quinto tricesimo, quam a Gallis reciperata, ablato *post* undecimum annum a plebe consulatu, patricii consules ambo ex interregno magistratum iniere. — *Liv.* vii. 18.

6. Annum *post* quintum decimum creati consules L. Lucretius Flavus, Ser. Sulpicius Camerinus. — *Liv.* v. 29.

Adverbially.

1. Mitto igitur ad te Trebatium, atque ita mitto, ut initio mea sponte, *post* autem invitatu tuo mittendum duxerim. — *Cic. ad Fam.* vii. 5.

2. Nunc primum fac istæc lavet: *post* deinde,
Quod jussi ei dari bibere . . . .
Date. *Ter. Andr.* iii. 2, 3.

3. Reprehendit eas res, quas idem Cæsar anno *post*, et deinceps reliquis annis administravisset in Gallia. — *Cic. de Cl. Orat.* c. 60.

Joined with EA (POSTEA).

1. Post Cannensem illam calamitatem primum Marcelli ad Nolam prælio, populus se Romanus erexit, *postea*que prosperæ res deinceps multæ consecutæ sunt. — *Cic. de Clar. Orat.* c. 3.

2. *Postea* aliquanto, ipsos quoque tempestas vehementius jactare cœpit, usque adeo, ut dominus navis, cum idem gubernator esset, in scapham confugeret, et inde funiculo, qui a puppi religatus scapham annexam trahebat, navim, quoad posset, moderaretur. — *Cic. de Invent.* ii. 51.

Joined with QUAM (POSTQUAM).

Undecimo die *postquam* a te discesseram, hoc literularum exaravi, egrediens e villa ante lucem — *Cic. ad Attic.* xii. 1.

Disjoined from QUAM.

Nil sane habebam novi, quod *post* accidisset, *quam* dedissem ad te Philogeni liberto tuo literas. — *Cic. ad Attic.* vi. 3.

Combined with EA and QUAM (POSTEAQUAM).

Quod *posteaquam* dixi, tantus est gemitus factus aspectu statuæ, et commemoratione, ut illud in curia positum monumentum scelerum, non beneficiorum videretur. — *Cic. in Verr.* ii. 2. 4. 62.

POSTEA elegantly separated from QUAM by the intervention of VERO.

1. *Postea vero quam* ita et cepi et gessi maxima imperia, ut mihi nihil neque ad honorem, neque ad gloriam acquirendum putarem; superiorem quidem nunquam, sed parem vobis me speravi esse factum. — *Cic. ad Fam.* iii. 7.

2. *Postea vero quam* profectus es, velim recordere, quæ ego de te in senatu egerim, quæ in concionibus dixerim, quas ad te literas miseram. — *Cic. ad Fam.* v. 2.

CHAPTER XX. Page 104.

Præter.

Except or *but.*

1. Amicum ex consularibus neminem tibi esse video, *præter* Hortensium et Lucullum: cæteri sunt partim obscurius iniqui, partim non dissimulanter irati. — *Cic. ad Fam.* i. 5.

2. Omnibus sententiis, *præter* unam, ... condemnatus est. — *Cic. pro A. Cluent.* c. 20.

3. Neque, *præter* te, in Alide ullus servus istoc nomine 'st. *Plaut. Capt.* iii. 4. 58.

Adverbially in appearance, but the accusative understood.

1. Atque etiam e Græcis ipsis diligenter cavendæ sunt quædam familiaritates, *præter* hominum perpaucorum, si qui sunt vetere Græcia digni. — *Cic. ad Q. Fratr.* i. 1. 5.

2. Religionum usquequaque contemtor, *præter* unius Deæ Syriæ. — *Suet. Neron.* 56.

Besides.

1. Scipionem ea auctoritate esse, ut non solum libere, quæ probasset, exponere; sed magna etiam ex parte compellere, atque errantem [Pompeium] regere posset:

præesse autem suo nomine exercitui; ut, *præter* auctoritatem, vires quoque ad coercendum haberet: quod si fecisset, quietem Italiæ, pacem provinciarum, salutem imperii, uni omnes acceptam relaturos. — *Cæs. B. Civ.* iii. 57.

2. Ceterum hæc, ut in secundis rebus, segniter otioseque gesta. Romanos, *præter* insitam industriam animis, fortuna etiam cunctari prohibebat. — *Liv.* xxiii. 14.

3. Quis porro, *præter* periculum horridi et ignoti maris, Asia, aut Africa, aut Italia relicta, Germaniam peteret? informem terris, asperam cœlo, tristem cultu aspectuque, nisi si patria sit. — *Tac. Germ.* c. 2.

By the side of or *along.*

1. Postero die est *præter* Caralitin paludem agmen ductum. — *Liv.* xxxviii. 15.

2. Transgressis ponte perfecto flumen, *præter* ripam euntibus Galli Matris Magnæ a Pessinunte obcurrere cum insignibus suis, vaticinantes fanatico carmine, Deam Romanis viam belli et victoriam dare. — *Liv.* xxxviii. 19.

3. Fulvius, secunda et quarta legione adortus a Pisis Apuanos Ligures, ... in deditionem acceptos, ad septem millia hominum in naves impositos, *præter* oram Etrusci maris Neapolim transmisit. — *Liv.* xl. 41.

Before or *in sight of.*

1. Apronius interea cœnam, ac pocula poscebat. Servi autem ejus, qui et moribus iisdem essent, quibus dominus, et eodem genere ac loco nati, *præter* oculos Lollii hæc omnia ferebant. — *Cic. Verr.* ii. 3. 25.

2. Præcipuum pavorem intulit suspensum et nutans machinamentum quo repente demisso *præter* suorum ora, singuli pluresve hostium sublime rapti, verso pondere intra castra effundebantur.— *Tac. Hist.* iv. 30.

Beyond or *above.*

1. Nimium ipse est durus *præter* æquumque et bonum. *Ter. Adelph.* i. 1. 39.

2. Cujus [Phalaridis] est *præter* cæteros nobilitata crudelitas. — *Cic. de Offic.* ii. 7.

3. Aristides .... nonne ob eam causam expulsus est patria, quod *præter* modum justus esset. — *Cic. Tusc. Quæst.* v. 36.

4. Plura etiam acciderunt, quam vellem. Nam, ut amitteretis exercitum, nunquam mehercule optavi. Illud etiam accidit *præter* optatum meum; sed valde ex voluntate. — *Cic. in Pison.* c. 20.

5. Quod plerique omnes faciunt adolescentuli,
Ut animum ad aliquod studium adjungant, aut equos
Alere, aut canes ad venandum, aut ad philosophos:
Horum ille nihil egregie *præter* cetera
Studebat, et tamen omnia hæc mediocriter.
Ter. Andr. i. 1. 28.

Contrary to.

1. Ante d. v. Kal. Decemb. tres epistolas a te accepi; unam datam a. d. VIII. Kal. Novemb. in qua me hortaris, ut forti animo mensem Januarium expectem: eaque, quæ ad spem putas pertinere, de Lentuli studio, de Metelli voluntate, de tota Pompeii ratione, perscribis. In altera epistola *præter* consuetudinem tuam diem non adscribis. —*Cic. ad Attic.* iii. 23.

2. Sed ex his omnibus nihil magis ridetur, quam quod est *præter* expectationem: cujus innumerabilia sunt exempla, vel Appii majoris illius, qui in senatu, cum ageretur de agris publicis, et de lege Thoria, et premeretur Lucilius ab iis, qui a pecore ejus depasci agros publicos dicerent, "Non est," inquit, "Lucilii pecus illud: erratis;" (defendere Lucilium videbatur) "ego liberum puto esse: qua lubet, pascitur."

CHAPTER XXI. Page 109.

Prope.

Near, almost at.

1. Est mihi gratissimum, tanti a te æstimatam consuetudinem vitæ, victusque nostri: primum, ut eam domum sumeres, ut non modo *prope* me, sed plane mecum habitare posses: deinde, ut migrare tantopere festines. —*Cic. ad Fam.* vii. 23.

2. —— Quemdam volo visere, non tibi notum;
Trans Tiberim longe cubat is, *prope* Cæsaris hortos.
Hor. Sat. i. 9. 17.

3. Id vero ægre tolerante milite, *prope* seditionem ventum, cum progressi equites sub ipsa mœnia, vagos ex Cremonensibus corripiunt. — *Tac. Hist.* iii. 21.

Near, about; applied to time.

Prope kalendas Sextiles puto me Laodiceæ fore: perpaucos dies, dum pecunia accipitur, quæ mihi ex publica permutatione debetur, commorabor.— *Cic. ad Fam.* iii. 5.

Adverbially.

1. Tute ipse his rebus finem præscripsti, pater.
Prope adest, cum alieno more vivendum 'st mihi:
Sine nunc meo me vivere interea modo.
Ter. And. i. 1. 124.

2. Vehementer te esse sollicitum, et in communibus miseriis præcipuo quodam dolore angi, multi ad nos quotidie deferunt. Quod quanquam minime miror, et meum quodammodo agnosco: doleo tamen, te sapientia præditum *prope* singulari, non tuis bonis delectari potius, quam alienis malis laborare. — *Cic. ad Fam.* iv. 3.

3. Circa Herdoneam Romanæ legiones et prætor Fulvius erant. quo ubi adlatum est, hostes adventare, *prope* est factum, ut injussu prætoris signis convulsis in aciem exirent. — *Liv.* xxv. 21.

With A, *near*, or *close to*.

1. Tum in Italia bellum tam *prope a* Sicilia, tamen in Sicilia non fuit. — *Cic. in Verr.* ii. 5. 2.

2. [Cato] perniciali odio Carthaginis flagrans, ... attulit quodam die in curiam præcocem ex ea provincia ficum, ostendensque Patribus, "Interrogo vos," inquit: "quando hanc pomum demptam putetis ex arbore?" Cum inter omnes recentem esse constaret: "Atqui tertium," inquit, "ante diem scitote decerptam Carthagine: tam *prope a* muris habemus hostem." Statimque sumptum est Punicum tertium bellum. — *Plin. N. H.* xv. 18.

3. An tu eras consul, cum in Palatio mea domus ardebat, non casu aliquo, sed ignibus injectis, instigante te? Ecquod in hac urbe majus unquam incendium fuit, cui non consul subvenerit? At tu illo ipso tempore apud socrum tuam *prope a* meis ædibus, cujus domum ad meam exhauriendam patefeceras, sedebas, non extinctor, sed auctor incendii, et ardentes faces furiis Clodianis pene ipse consul ministrabas. — *Cic. in Pison.* c. 11.

With ABESSE.

Porro ne in corpore quidem valetudinem medici probant, quæ animi anxietate contingit, parum est ægrum non esse, fortem, et lætum, et alacrem volo: *prope abest* ab infirmitate, in quo sola sanitas laudatur. — *Cic. Dial. de Orat.* c. 23.

CHAPTER XXII. Page 113.

Propter.

Near, or *by*, i. e. *by the side of.*

1. In pratulo *propter* Platonis statuam consedimus. — *Cic. de Clar. Orat.* p. 6.

2. Cum Lacedæmoniis lex esset, ut hostias nisi ad sacrificium quoddam redemptor præbuisset, capitale esset; hostias is, qui redemerat, cum sacrificii dies instaret, in urbem ex agro cœpit agere. Tum subito magnis commotis tempestatibus fluvius Eurotas is, qui *propter* Lacedæmonem fluit, ita magnus et vehemens factus est, ut eo traduci victimæ nullo modo possent. — *Cic. de Invent.* c. 31.

3. Vulcani item complures: primus Cælo natus, ex quo Minerva Apollinem eum, cujus in tutela Athenas antiqui historici esse voluerunt: secundus Nilo natus, Phthas, ut Ægyptii appellant, quem custodem esse Ægypti volunt: tertius ex tertio Jove et Junone, qui Lemni fabricæ traditur præfuisse: quartus Menalio natus, qui tenuit insulas *propter* Siciliam, quæ Vulcaniæ nominabantur. — *Cic. de Nat. Deor.* iii. 22.

4. —— Ubi Artotrogus?

Arto. Hic est: stat *propter* virum
Fortem, atque fortunatum, et forma regia;
Tum bellatorem. *Plaut. Mil. Glor.* i. 9.

On account of, for, i. e. *for the sake of*, or *by reason of.*

1. Nolito commoveri, si audieris me regredi, si forte Cæsar ad me veniet. . . . . Nam neque castra, *propter* anni tempus et militum animos, facere possum: neque ex omnibus oppidis contrahere copias expedit. — *Cic. ad Attic.* viii. 12.

2. Tu solus aperta non videbis, qui *propter* acumen occultissima perspicis? tu non intelliges, te querelis quotidianis nihil proficere? tu non intelliges duplicari sollicitudines, quas elevare tua te prudentia postulat? — *Cic. Fam.* v. 14.

3. Audivi equidem ista de majoribus natu, sed nunquam sum adductus, ut crederem; eamque suspicionem *propter* hanc causam credo fuisse, quod Fannius in mediocribus oratoribus habitus esset. — *Cic. de Clar. Orat.* c. 26.

4. De Tirone video tibi curæ esse: quem quidem ego, etsi mirabiles utilitates mihi præbet, cum valet, in omni genere vel negotiorum, vel studiorum meorum, tamen *propter* humanitatem, et modestiam malo salvum, quam *propter* usum meum. — *Cic. ad Attic.* vii. 5.

Adverbially.

1. Præterito hac recta platea sursus: ubi eo veneris,
Clivos deorsum vorsum est; hac te præcipitato: postea
Est ad hanc manum sacellum: ibi angiportum *propter* est. *Ter. Adelph.* iv. 2. 35.

2. Videbit, conloquetur: aderit una in unis ædibus:
Cibum nonnunquam capiet cum ea: interdum *propter* dormiet. *Ter. Eun.* ii. 3. 76.

CHAPTER XXIII. Page 116.

SECUNDUM.

After, next to.

1. Deos placatos pietas efficiet, et sanctitas: proxime autem, et *secundum* deos, homines hominibus maxime utiles esse possunt. — *Cic. de Offic.* ii. 3.

2. In hac solitudine careo omnium colloquio; cumque mane me in silvam abstrusi densam et asperam, non exeo inde ante vesperum. *Secundum* te, nihil est mihi amicius solitudine. — *Cic. ad Attic.* xii. 15.

3. In actione *secundum* vocem vultus valet. Is autem oculis gubernatur. — *Cic. de Orat.* iii. 59.

4. *Secundum* ea quæro, servarisne in eo fidem? num quando tibi moram attulerit, quo minus concilium advocares, legemque ferres, quod eo die scires de cælo esse servatum? — *Cic. in Vatin.* c. 6.

Near or *behind.*

1. Circiter hora decima noctis P. Postumius, familiaris ejus, ad me venit, et mihi nuntiavit, M. Marcellum, collegam nostrum, post cœnæ tempus, a P. Magio Chilone, familiari ejus, pugione percussum esse, et duo vulnera accepisse, unum in stomacho, alterum in capite *secundum* aurem: sperare tamen eum vivere posse. — *Cic. Fam.* iv. 12.

2. Pro, Dii immortales! Quid illuc est, Sceparnio,
Hominum *secundum* litus? *Plaut. Rud.* i. 2. 60.

3. Saltibus in vacuis pascant, et plena *secundum*
Flumina. *Virg. Georg.* iii. 143.

According to.

1. Gavium istum, quem repentinum speculatorem fuisse dicis, ostendam, in latumias Syracusis a te esse conjectum: neque id solum ex literis ostendam Syracusanorum: ne possis dicere, me, quia sit aliquis in literis Gavius, hoc fingere, et eligere nomen, ut hunc illum esse possim dicere: sed *secundum* arbitrium tuum testes dabo, qui istum ipsum Syracusis abs te in latumias conjectum esse dicant. — *Cic. in Verr.* ii. 5. 63.

2. —— Isti te ignorabant: postquam eis mores ostendi tuos:
Et conlaudavi *secundum* facta et virtutes tuas,
Impetravi. *Ter. Eun.* v. 8. 60.

3. Omnia vero, quæ *secundum* naturam fiunt, sunt habenda in bonis. Quid est autem tam *secundum* naturam, quam senibus emori? quod idem contingit adolescentibus, adversante et repugnante natura. — *Cic. de Senect.* c. 19.

In favour of.

1. Subito ille [Clodius] in concionem ascendit, quam Appius ei dedit. Nuntiat jam populo pontifices *secundum* se decrevisse; me autem vi conari in possessionem venire. Hortatur, ut se et Appium sequantur, et suam libertatem ut defendant. — *Cic. ad Attic.* iv. 2.

2. Causa Buthrotiorum delata est ad consules. Decretum Cæsaris recitatum est, et multi præterea libelli

Cæsaris prolati. Consules de consilii sententia decreverunt secundum Buthrotios; Plancum dederunt. — *Cic. ad Attic.* xvi. 18.

3. Vulgata victoria, post principia belli *secundum* Flavianos, duæ legiones, ... cum Vedio Aquila, legato, Patavium alacres veniunt. — *Tac. Hist.* iii. 7.

4. Iste postero die mane, cum multo maturius, quam unquam antea, surrexisset, judices citari jubet. Ubi comperit Heraclium non adesse, cogere incipit eos, ut absentem Heraclium condemnarent. Illi eum commonefaciunt, ut si ei videatur, utatur instituto suo, nec cogat ante horam decimam de absente *secundum* præsentem judicare. Impetrant. — *Cic. in Verr.* ii. 2. 17.

CHAPTER XXV. Page 121.

Supra.

Above, higher than, over.

1. Infra nihil est, nisi mortale et caducum, præter animos generi hominum, munere deorum datos. *Supra* lunam sunt æterna omnia. — *Cic. Somn. Scip.* c. 4.

2. Eadem ratione mare, cum *supra* terram sit, medium tamen terræ locum expetens, conglobatur undique æquabiliter, neque redundat unquam, neque effunditur. *Cic. de Nat. Deor.* ii. 45.

3. Ego . . . bellum geram . . . cum regno, et imperiis extraordinariis, et dominatione, et potentia, quæ *supra* leges se esse velit. — *Cic. ad Brut.* c. 17.

4. —— Mihi cæruleus *supra* caput astitit imber,
Noctem hyememque ferens. *Virg. Æn.* iii. 194.

Supra caput, *exceedingly.*

Ecce *supra caput* homo levis ac sordidus, sed tamen equestri censu, Catienus: etiam is lenietur. — *Cic. ad Quint. Fratr.* i. 2.

Beyond.

1. Illis ira modum *supra* est, læsæque venenum
Morsibus inspirant. *Virg. Georg.* iv. 236.

2. Quartus autem est gradus et altissimus eorum qui

natura boni sapientesque gignuntur: quibus a principio innascitur ratio recta constansque, quæ *supra* hominem putanda est, deoque tribuenda. — *Cic. de Nat. Deor.* ii. 13.

3. Gloria quem *supra* vires et vestit et ungit,
Quem tenet argenti sitis importuna famesque,
Quem paupertatis pudor et fuga, dives amicus
Sæpe decem vitiis instructior odit et horret.

Hor. Epist. i. 18. 22.

More than.

1. Qui Musas amat impares,
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates. Tres prohibet *supra*
Rixarum metuens tangere Gratia.

Hor. Od. iii. 19. 13.

2. Karthaginiensium sociorumque cæsa eo die *supra* millia viginti: par ferme numerus captus est, cum signis militaribus centum triginta tribus, elephantis undecim. — *Liv.* xxx. 35.

Adverbially.

1. Ac mihi quidem veteres illi, majus quiddam animo complexi, plus multo etiam vidisse videntur, quam quantum nostrorum ingeniorum acies intueri potest: qui omnia hæc, quæ *supra* et subter, unum esse, et una vi, atque una consensione naturæ constricta esse dixerunt. — *Cic. de Orat.* iii. 5.

2. ——— Das nummos; accipis uvam,
Pullos, ova, cadum temeti: nempe modo isto
Paulatim mercaris agrum, fortasse trecentis,
Aut etiam *supra*, nummorum millibus emptum.

Hor. Epist. ii. 2. 162.

3. Pisonis humanitas, virtus, amor in omnes nos tantus est, ut nihil *supra* possit. — *Cic. Fam.* xiv. 1.

Followed by QUAM.

1. [Livium] in concionibus, *supra quam* enarrari potest, eloquentem. — *Quintil. Instit.* x. 1. 101.

2. Aspera arteria (sic enim a medicis appellatur) ostium habeat, adjunctum linguæ radicibus, paulo *supra quam* ad linguam stomachus annectitur. —*Cic. de Nat. Deor.* ii. 54.

CHAPTER XXVI. Page 124.

Trans.

Over, across, beyond.

1. Cœlum non animum mutant qui *trans* mare currunt.
Hor. Epist. i. 11. 780.

2. Si fortunatum species et gratia præstat;
Mercemur servum qui dictet nomina, lævum
Qui fodiat latus, et cogat *trans* pondera dextram
Porrigere. *Hor. Epist.* i. 6. 49.

3. Illas ducit amor *trans* Gargara, *trans*que sonantem
Ascanium: superant montes, et flumina tranant.
Virg. Georg. iii. 269.

4. Marcone Crasso putas utile fuisse, tum cum maximis opibus fortunisque florebat, scire, sibi, interfecto Publio filio, exercituque deleto, *trans* Euphratem cum ignominia et dedecore esse pereundum? — *Cic. de Div.* ii. 9.

5. [Clodius], cum ab equite Romano splendidissimo et forti viro, T. Pacavio, non impetrasset, ut insulam in lacu Prelio venderet, repente lintribus in eam insulam materiam, calcem, cæmenta atque arenam convexit, dominoque *trans* ripam inspectante non dubitavit ædificium extruere in alieno. — *Cic. pro Milon.* c. 27.

CHAPTER XXVII. Page 127.

Versus or Versum.

Towards.

1. Initio belli civilis cum Brundusium *versus* ires ad Cæsarem, venisti ad me in Formianum. — *Cic. Fam.* xi. 27.

2. Bello Punico secundo, nonne C. Flaminius consul iterum, neglexit signa rerum futurarum magna cum clade reipublicæ? Qui exercitu lustrato, cum Arretium *versus* castra movisset, et contra Annibalem legiones duceret: et ipse, et equus ejus ante signum Jovis Statoris sine causa repente concidit, nec eam rem habuit religioni, objecto signo, ut peritis videbatur, ne committeret prœlium. — *Cic. de Div.* i. 35.

With ad or in.

1. [Numa] adcitus, sicut Romulus augurato urbe condenda regnum adeptus est, de se quoque Deos consuli jussit: inde ab augure (cui deinde, honoris ergo, publicum id perpetuumque sacerdotium fuit) deductus in arcem, in lapide *ad* meridiem *versus* consedit. Augur ad lævam ejus, capite velato, sedem cepit, dextra manu baculum sine nodo aduncum tenens, quem lituum adpellaverunt. inde ubi, prospectu in urbem agrumque

capto, Deos precatus, regiones ab oriente ad occasum determinavit; dextras ad meridiem partes, lævas ad septentrionem esse dixit. Signum contra, quo longissime conspectum oculi ferebant, animo finivit. Tum, lituo in lævam manum translato, dextra in caput Numæ imposita, precatus est ita: "Jupiter pater, si est fas, hunc Numam Pompilium, cujus ego caput teneo, regem Romæ esse, uti tu signa nobis certa adclarassis inter eos fines, quos feci." Tum peregit verbis auspicia, quæ mitti vellet. quibus missis, declaratus rex Numa de templo descendit. — *Liv.* i. 19.

2. Postquam Antonius cum exercitu adventabat, Catilina per montis iter facere, ad Urbem modo, modo *in* Galliam *versus* castra movere. — *Sall. Cat.* c. 56.

3. Interim Metellus cum acerrume rem gereret, clamorem hostilem ab tergo accepit: dein, convorso equo, animadvortit, fugam *ad* se *vorsum* fieri: quæ res indicabat popularis esse. — *Sall. Jug.* c. 58.

With QUOQUO or SURSUM.

1. [Vercingetorix] rex ab suis appellatur: dimittit *quoquoversus* legationes: obtestatur ut in fide maneant. — *Cæs. B. Gall.* vii. 4.

2. Eadem ratio est horum, quæ sunt orationis lumina, et quodammodo insignia: cum aut duplicantur, iteranturque verba, aut breviter commutata ponuntur, aut ab eodem verbo ducitur sæpius oratio, aut in idem conjicitur, aut in utrumque, aut adjungitur idem iteratum, aut idem ad extremum refertur: aut continenter unum verbum non in eadem sententia ponitur: aut cum similiter vel cadunt verba, vel desinunt: aut multis modis contrariis relata contraria: aut cum gradatim *sursum*

versus reditur: aut cum, demptis conjunctionibus, dissolute plura dicuntur: aut cum aliquid prætereuntes, cur id faciamus, ostendimus: aut cum corrigimus nosmetipsos, quasi reprehendentes: aut si est aliqua exclamatio vel admirationis, vel conquestionis: aut cum ejusdem nominis casus sæpius commutatur. — *Cic. Orat.* c. 39.

CHAPTER XXVIII. Page 131.

Ultra.

Beyond, referred to place.

1. —— Me sylva lupus in Sabina,
Dum meam canto Lalagen, et *ultra*
Terminum curis vagor expeditus,
Fugit inermem. *Hor. Od.* i. 22. 9.

2. Cottæ quod tu negas te nosse; *ultra* Silianam villam est, quam puto tibi notam esse: villula sordida, et valde pusilla: nihil agri; ad aliam rem loci nihil; satis ad eam, quam quæro. — *Cic. ad Attic.* xii. 27.

Beyond, referred to time.

1. *Ultra* promissum tempus abesse queror.
Ov. Epist. Her. ii. 2.

2. A me [palæstricus] tamen nec *ultra* pueriles annos retinebitur, nec in his ipsis diu. — *Quint. Inst.* i. 11. 2.

Beyond, referred to degree.

1. Mollis et enervata putanda est Peripateticorum ratio et oratio, qui perturbari animos necesse esse dicunt: sed adhibent modum quendam, quem *ultra* progredi non oporteat. — *Cic. Tusc. Quæst.* iv. 17.

2. Nihil pejus est iis, qui, paulum aliquid *ultra* primas literas progressi, falsam sibi scientiæ persuasionem induerunt. — *Quintil. Instit.* i. 1. 2.

Adverbially; applied to space.

1. Geram tibi morem, et ea, quæ vis, ut potero, explicabo: nec tamen quasi Pythius Apollo, certa ut sint et fixa, quæ dixero: sed ut homunculus unus e multis, probabilia conjectura sequens. *Ultra* enim quo progrediar, quam ut veri videam similia, non habeo. — *Cic. Tusc. Quæst.* i. 9.

2. Longum est, quod pluribus verbis, aut sententiis, *ultra* quam satis est, producitur. — *Cic. de Invent.* i. 18.

Adverbially; applied to time.

1. Ea demum vox ita animos accendit, atque, renovato clamore, velut alii repente facti, tanta vi se in hostem intulerunt, ut sustineri *ultra*, non possent. — *Liv.* xxiv. 16.

2. His consulibus Fidenæ obsessæ, Crustumeria capta, Præneste ab Latinis ad Romanos descivit. nec *ultra* bellum Latinum, gliscens jam per aliquot annos, dilatum. — *Liv.* ii. 19.

Adverbially; applied to degree.

1. Brutus noster misit ad me orationem suam, habitam in concione Capitolina; petivitque a me, ut eam nec ambitiose corrigerem ante, quam ederet. Est autem oratio scripta elegantissime sententiis, verbis, ut nihil possit ultra. — *Cic. ad Attic.* xv. 1.

2. Contenti esse debebitis, si probabilia dicentur. Æquum est enim meminisse, et me, qui disseram, hominem esse: et vos, qui judicatis: ut si probabilia dicentur, nil *ultra* requiratis. — *Cic. de Univ.* c. 3.

CHAPTER XXIX. Page 134.

Usque.

As far as.

1. ——— Mic. Is venit ut secum avehat:
Nam habitat Mileti. Æs. Hem, virginem ut secum avehat?
Mic. Sic est. Æs. Miletum *usque* obsecro?
Ter. Adel. iv. 5. 19.

2. Appius noster, cum me adventare videret, profectus est Tarsum *usque* Laodicea.—*Cic. ad Attic.* v. 17.

Adverbially; *even, as far as, very, till.*

1. ——— Sa. Numquam vidi iniquius
Certationem comparatam, quam hodie quæ inter nos fuit:
Ego vapulando, ille verberando, *usque* ambo defessi sumus.
Sy. Tua culpa. Sa. Quid facerem? Sy. Adulescenti morem gestum oportuit.
Sa. Quid potui melius, qui hodie ei *usque* os præbui?
Ter. Adel. ii. 2. 3.

Adverbially; *all but, almost.*

——— Dem. Quid tibi est?
Sy. Rogitas? Ctesipho me pugnis miserum, et istam psaltriam
Usque occidit. *Ter. Adel.* iv. 2. 18.

Adverbially; *continually, always.*

1. Mihi quidem *usque* curæ erit quid agas, dum, quid egeris, sciero. — *Cic. Fam.* xii. 19.

2. Exsul eram; requiesque mihi, non fama petita est:
Mens intenta suis ne foret *usque* malis.
Ovid. Trist. iv. 1. 3.

Adverbially; doubled.

Allatres licet *usque* nos et *usque*,
Et gannitibus improbis lacessas;
Certum est hanc tibi pernegare famam,
Olim quam petis in meis libellis.
Martial. v. 60. 1.

With AD.

1. Si sensero hodie quicquam in his te nuptiis
Fallaciæ conari, quo fiant minus;
Aut velle in ea re ostendi, quam sis callidus:
Verberibus cæsum te in pistrinum, Dave, dedam *usque ad* necem. *Ter. Andr.* i. 2. 25.

2. De Quinto fratre nuntii nobis tristes, nec varii, venerant ex ante diem Non. Jun. *usque ad* prid. Kal. Sept. — *Cic. Attic.* iii. 17.

With A.

1. Hi sunt homines, quos nuper senatus in hostium numero habendos censuit. Hoc illi navigio ad omnes populi Romani hostes, *usque ab* Dianio, quod in Hispania est, ad Sinopen, quæ in Ponto est, navigaverunt. — *Cic. Verr.* ii. 1. 34.

2. Vetus opinio est, jam *usque ab* heroicis ducta temporibus, eaque et populi Romani et omnium gentium firmata consensu, versari quandam inter homines divina-

tionem, ... id est, præsensionem et scientiam rerum futurarum. — *Cic. de Div.* i. 1.

With various prepositions.

1. Libra die somnique pares ubi fecerit horas,
Et medium luci atque umbris jam dividet orbem:
Exercete, viri, tauros, serite hordea campis,
Usque sub extremum brumæ intractabilis imbrem.
Virg. Georg. i. 208.

2. ——— Heus jubete istos foras
Exire, quos jussi, ocius. Procede tu huc.
Ex Æthiopia est *usque* hæc.
Ter. Eun. iii. 2. 16.

3. Romæ consules prætoresque *usque ante* diem quintum Kalendas Maias Latinæ tenuerunt.—*Liv.* xxv. 12.

4. Memorandum de panthera tradit Demetrius Physicus: jacentem in media via hominis desiderio, repente apparuisse patri cujusdam Philini, assectatoris sapientiæ: illum pavore cœpisse regredi, feram vero circumvolutari non dubie blandientem, seseque conflictantem mœrore, qui etiam in panthera intelligi posset. Feta erat, catulis procul in foveam delapsis. Primum ergo, miserationis fuit non expavescere: proximum, ei curam intendere: sequutusque, qua trahebat vestem unguium levi injectu, ut causam doloris intellexit, simulque salutis suæ mercedem, exemit catulos: eaque cum iis prosequente, *usque extra* solitudines deductus. — *Plin. N. H.* viii. 17.

5. Non tamen *usque in* hoc, judices, valet, ut non dederim beneficium.— *Quintil. Declam.* 301.

6. Tollitur ab atriis Liciniis, atque a præconum consessu in Galliam Nævius, et *trans* Alpes *usque* transfertur.— *Cic. pro Quint.* c. 3.

With ADEO, *so very far, so greatly.*

1. Non equidem invideo: miror magis: undique totis
Usque adeo turbatur agris. *Virg. Ecl.* i. 11.

2. Cur me enicas? hoc audi. numquam destitit
Instare, ut dicerem me ducturum patri;
Suadere, orare, *usque adeo* donec perpulit.
Ter. Andr. iv. 1. 36.

With DUM, *as long as.*

1. Fateatur, id, quod negari non potest, se privatum hominem, prædonum duces vivos atque incolumes domi suæ, posteaquam Romam redierit, *usque dum* per me licuerit, tenuisse. — *Cic. Verr.* ii. 1. 5.

2. ———*Usque dum* ille vitam illam colet
Inopem, carens patria ob meas injurias,
Interea usque illi de me supplicium dabo,
Laborans, quærens, parcens, illi serviens.
Ter. Heaut. i. 1. 84.

With QUAQUE, *on every side,* i. e. *altogether, entirely.*

1. Quæro deinceps, num, hodiernus dies qui sit, ignores. Nescis heri quartum in Circo diem ludorum Romanorum fuisse? te ipsum autem ad populum tulisse, ut quintus præterea dies Cæsari tribueretur? Cur non sumus prætextati? cur honorem Cæsari tua lege datum deseri patimur? an supplicationes addendo diem contaminari passus es; pulvinaria noluisti? Aut undique religionem tolle, aut *usquequaque* conserva. — *Cic. Philipp.* ii. 43.

2. Nolite *usquequaque* eadem quærere. In metu belli, furandi qui locus potest esse? — *Cic. Verr.* ii. 5. 5.

With EO, *so far, to such a degree.*

1. Ego autem *usque eo* sum enervatus, ut hoc otio, quo nunc tabescimus, malim ἐντυραννεῖσθαι, quam cum optima spe dimicare. — *Cic. Attic.* ii. 14.

2. Nec enim nunc de nobis, sed de re dicimus: in quo tantum abest, ut nostra miremur, ut *usque eo* difficiles, ac morosi simus, ut nobis non satisfaciat ipse Demosthenes. — *Cic. Orator.* c. 29.

After QUO, *to what extreme, how far, how long.*

1. *Quousque* tandem abutere, Catilina, patientia nostra? — *Cic. Cat.* i. 1.

2. Pansam bene loqui credo: semper enim conjunctum esse cum Hirtio scio: amicissimum Bruto et Cassio puto, si expediet; sed quando illos videbit? inimicum Antonio: quando, aut cur? *quousque* ludemur? — *Cic. Attic.* xv. 22.

CHAPTER XXX. Page 141.

A, Ab, Abs.

By.

1. Neque enim Alexander ille gratiæ causa *ab* Apelle potissimum pingi, et *a* Lysippo fingi volebat.—*Cic. Fam.* v. 12.

2. Sus rostro si humi A literam impresserit; num propterea suspicari poteris, Andromacham Ennii *ab* ea posse describi. — *Cic. de Div.* i. 13.

From, signifying the source from which an action begins.

1. Si quidem nihil sit præstabilius viro, quam periculis patriam liberare: beatos esse, quibus ea res honori fuerit *a* suis civibus. — *Cic. pro Milon.* c. 35.

2. [Panætius requirit] Juppiterne cornicem *a* læva, corvum *a* dextra canere jussisset. — *Cic. de Div.* i. 7.

3. Quam palmam utinam dii immortales tibi, Scipio, reservent, ut avi reliquias persequare! cujus *a* morte hic tertius et tricesimus est annus. — *Cic. de Senect.* c. 6.

From, signifying place and modes of place.

1. Credo te, ... binas [literas] meas ... accepisse, unas *a* Pindenisso capto, alteras *a* Laodicea. — *Cic. ad Attic.* vi. 1.

2. Verti igitur me *a* Minturnis Arpinum versus. — *Cic. ad Attic.* xvi. 10.

3. Gratissimum, quod polliceris Ciceroni nihil defuturum: de quo mirabilia Messalla; qui, Lanuvio rediens *ab* illis, venit ad me. — *Cic. ad Attic.* xv. 17.

At, signifying distance.

At hostes, postea quam ex nocturno fremitu vigiliisque de profectione eorum senserunt, collocatis insidiis bipartito in silvis, opportuno atque occulto loco, *a* millibus passuum circiter II Romanorum adventum exspectabant. — *Cic. B. Gall.* v. 32.

With PROPE.

1. Syriam et quatuor legiones obtinebat Licinius Mucianus, vir secundis adversisque juxta famosus. Insignes amicitias juvenis ambitiose coluerat: mox, attritis opibus, lubrico statu, suspecta etiam Claudii iracundia, in secretum Asiæ repositus, tam *prope ab* exule fuit, quam postea *a* principe. — *Tac. Hist.* i. 10.

2. Commodum non mediocre populi Romani est; tantum civium Romanorum numerum, tam *prope ab* domo, tam bonis, fructuosisque rebus detineri. — *Cic. Verr.* ii. 2, 3.

With PROPE and ABSUM.

Neque Romæ quidquam auditur novi: nec in his locis, quæ *a* Brundusio *absunt propius*, quam tu, biduum, aut triduum. — *Cic. ad Attic.* viii. 14.

With AD, to denote the beginning and end of motion.

Si quis deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repuerascam, et in cunis vagiam, valde recusem: nec vero

velim, quasi decurso spatio, *ad* carceres *a* calce revocari. — *Cic. de Senect.* c. 23.

With a pronoun or proper name, to denote the place or owner.

1. Quin dicis unde 'st clare. M. *A nobis.* D. Attate:
Mirum vero, inpudenter mulier si facit
Meretrix. CH. *Ab Andria* est hæc, quantum intellego. *Ter. Andr.* iv. 4. 15.

2. Sed Mysis *ab ea* egreditur. at ego hinc me ad forum, ut
Conveniam Pamphilum, ne de hac re pater inprudentem opprimat. *Ter. Andr.* i. 3. 21.

From, on, or *on the side of,* referred to vicinity.

1. Jam Quiritium fidem implorante Valerio *a* curiæ limine, L. Cornelius complexus Appium, . . . diremit certamen. —*Liv.* iii. 41.

2. Ita ex omnibus partibus, *ab* fronte, *ab* latere, *ab* tergo, trucidantur Hispani Liguresque: et ad Gallos jam cædes pervenerat. — *Liv.* xxvii. 48.

3. Principes utrimque pugnam ciebant; *ab* Sabinis Mettus Curtius, *ab* Romanis Hostus Hostilius. —*Liv.* i. 13.

On the side of or *for.*

1. Gradus illi Aurelii, tum novi, quasi pro theatro illi judicio ædificati videbantur: quos ubi accusator concitatis hominibus complerat, non modo dicendi *ab* reo, sed ne surgendi quidem potestas erat. —*Cic. pro Cluent.* c. 34.

2. [M. Cælius] quamdiu auctoritati meæ paruit, talis

tribunus plebis fuit, ut nemo contra civium perditorum popularem, turbulentamque dementiam, *a* senatu, et *a* bonorum causa steterit constantius. — *Cic. de Clar. Orat.* c. 79.

3. Commune est, quod nihilo magis *ab* adversariis, quam *a* nobis facit. — *Cic. de Invent.* i. 48.

4. ——— Tr. Scelerum caput!
Ut tute es, item omneis censes esse? perjuri caput!
Gr. Omnia istæc ego facile patior, dum hic *a* me sentiat. *Plaut. Rud.* iv. 4. 54.

Of or *belonging to*, expressing classes, sects, or nations.

1. Quid enim dicant et quid sentiant ii, qui sunt *ab* ea disciplina, nemo mediocriter quidem doctu signorat. — *Cic. Tusc. Quæst.* ii. 3.

2. Nostri illi *a* Platone, et Aristotele, moderati homines, et temperati, aiunt, apud sapientem valere aliquando gratiam. — *Cic. pro Muren.* c. 29.

3. Turnus Herdonius *ab* Aricia ferociter in absentem Tarquinium erat invectus. — *Liv.* i. 50.

4. Te quoque, magna Pales, et te memorande canemus,
Pastor *ab* Amphryso. *Virg. Georg.* iii. 1.

Of or *belonging to*, signifying office.

1. Libertorum præcipue suspexit Posiden spadonem, ... et Arpocran, cui lectica per urbem vehendi, spectaculaque publice edendi, jus tribuit: ac super hos, Polybium *a studiis*, qui sæpe inter duos consules ambulabat: sed, ante omnes, Narcissum *ab epistolis*, et Pallantem *a rationibus*. — *Suet. Claud.* c. 28.

2. Philemonem, *a manu servum*, qui necem suam per venenum inimicis promiserat, non gravius, quam simplici morte, punivit.— *Suet. Jul. Cæs.* c. 74.

From, *of*, *through*, or *out of*, signifying the motive or cause.

1. Hæc quam prudenter tibi scribam, nescio: sed illud certe scio, me *ab* singulari amore ac benevolentia, quæcunque scribo, tibi scribere.— *Cic. ad Attic.* ix. 6.

2. Oppidum victores permissu consulis diripiunt; non tam *ab* ira, nec *ab* odio, quam ut miles, coercitus in tot receptis ex potestate hostium urbibus, aliquo tandem loco fructum victoriæ sentiret.—*Liv.* xxxvi. 24.

On account of, *in consequence of.*

Ibi eum, incomposito agmine negligentius *ab* re bene gesta euntem, adorti Æqui, terrore injecto, in proximos compulere tumulos.—*Liv.* v. 28.

In respect of, *in point of*, *as to*, *with*, or *in.*

1. ——Excrucior, mea Gymnasium; male mihi est;
male maceror;
Doleo *ab* animo; doleo *ab* oculis; doleo *ab* ægritudine. *Plaut. Cist.* i. 1. 61.

2. Ego quidem præcipuum metum, quod ad te attinebat, habui; qui scirem quam paratus *ab* exercitu esses, ne quod hic tumultus dignitati tuæ periculum afferret. Nam de vita, si paratior *ab* exercitu esses, timuissem.— *Cic. ad Fam.* viii. 10.

3. Est nonnulla in iis [Catone et Lysia] etiam inter ipsos similitudo. Acuti sunt, elegantes, faceti, breves.

Sed ille Græcus *ab* omni laude felicior. — *Cic. de Clar. Orat.* c. 16.

4. Sumus enim flagitiose imparati cum *a* militibus, tum *a* pecunia: quam quidem omnem, non modo privatam, quæ in urbe est, sed etiam publicam, quæ in ærario est, illi [Cæsari] reliquimus. — *Cic. ad Attic.* vii. 15.

5. Hæc Crassi cum edita oratio est, quam te sæpe legisse certo scio, quatuor et triginta tum habebat annos, totidemque annis mihi ætate præstabat. His enim consulibus eam legem suasit, quibus nati sumus, cum ipse esset Q. Cæpione consule natus et C. Lælio, triennio ipso minor, quam Antonius. Quod idcirco posui, ut dicendi Latine prima maturitas in qua ætate extitisset, posset notari; et intelligeretur jam ad summum pene esse perductam, ut eo nihil ferme quisquam addere posset, nisi qui *a* philosophia, *a* jure civili, *ab* historia fuisset instructior. — *Cic. de Clar. Orat.* c. 43.

From, i. e. *away from*, or out of the power of.

1. Tarentini [pugnabant], ut, recuperata urbe *ab* Romanis post centesimum prope annum, arcem etiam liberarent. — *Liv.* xxvi. 39.

2. Gortynii templum magna cura custodiunt, non tam *a* cæteris quam *ab* Hannibale, ne quid ille inscientibus his tolleret, secumque asportaret. — *Corn. Nep. Hannib.* c. 9.

From, as referred to time.

1. Marcus Æmilius Avianus *ab* ineunte adolescentia me observavit, semperque dilexit. — *Cic. ad Fam.* xiii. 21.

2. Me Capitolinus convictore usus amicoque
A puero est. *Hor. Sat.* i. 4. 96.

After.

1. De Acutiliano autem negotio quod mihi mandaras, ut primum *a* tuo digressu Romam veni, confeceram. — *Cic. ad Attic.* i. 5.

2. Scipionis classis XL die *a* securi navigavit. — *Plin. N. H.* xvi. 39.

3. Fortunate puer, tu nunc eris alter *ab* illo.
Virg. Ecl. v. 49.

4. *A* Veneris facie non est prior ulla, tuaque.
Ovid. Epist. Her. xviii. 69.

ABS, *from, by.*

1. Reliquum est ut officiis certemus inter nos; quibus æquo animo vel vincam te, vel vincar *abs* te. — *Cic. ad Fam.* vii. 31.

2. ——— Ut abii *abs* te, fit forte obviam
Mihi Phormio. *Ter. Phorm.* iv. 3. 12.

3. *Abs* quivis homine, cum est opus, beneficium accipere gaudeas:
Verum enimvero id demum juvat, si quem æquom 'st facere, is benefacit. *Ter. Adelph.* ii. 3. 1.

CHAPTER XXXI. Page 153.

Absque.

Without.

1. Est quædam argumentatio, in qua propositio non indiget approbatione; et quædam in qua nihil valet *absque* approbatione. — *Cic. de Invent.* i. 36.

2. Non modo, si mihi tantum esset otii, quantum est tibi, verum etiam, si tam breves epistolas velim mittere, quam tu soles facere, te superarem, et in scripto multo essem crebrior, quam tu; sed ad summas, atque incredibiles occupationes meas accedit, quod nullam a me epistolam ad te sino *absque* argumento ac sententia pervenire. — *Cic. ad Attic.* i. 19.

But for, with the pronouns and the verb SUM, SI understood

1. Eheu me miserum: cum mihi paveo, tum Antipho
 me excruciat animi:
Ejus me miseret: ei nunc timeo: is nunc me retinet: nam *absque eo esset*,
Recte ego mihi vidissem. *Ter. Phorm.* i. 4. 10.

2. ——— Hoc diis dignum 'st, semper mendicis modesti sint

Fidus fuisti [Neptune]: infidum esse iterant: nam,
absque foret te, (sat scio) in alto
Distraxissent .... satellites tui me.
Plaut. Trin. iv. 1. 12

3. ——— Hei mihi! istæc illum perdidit assentatio.
Nam, *absque te esset*, ego illum haberem rectum ad
ingenium bonum. *Plaut. Bacch.* iii. 3. 7.

CHAPTER XXXII. Page 155.

Coram.

Before, in the presence of.

1. Non recito cuiquam, nisi amicis, idque coactus:
Non ubivis, *coram*ve quibuslibet.

Hor. Sat. i. 4. 74.

2. Cantabit vacuus *coram* latrone viator.

Juv. Sat. x. 22.

After its case.

1. Solum veneni crimen visus est diluisse; quod ne accusatores quidem satis firmabant, "in convivio Germanici, cum super eum Piso discumberet, infectos manibus ejus cibos" arguentes: quippe absurdum vidèbatur, inter aliena servitia, et tot adstantium visu, ipso Germanico *coram*, id ausum. — *Tac. Ann.* iii. 14.

2. Erepto Druso, preces ad vos converto, diisque et patria *coram* obtestor, Augusti pronepotes, clarissimis majoribus genitos suscipite, regite: vestram meamque vicem explete. — *Tac. Ann.* iv. 10.

Adverbially.

1. Ipsos induxi loquentes, ne, "inquam," et, "inquit," sæpius interponeretur: atque ut, tanquam a

præsentibus, *coram* haberi sermo videretur. — *Cic. de Amic.* c. 1.

2. Sed hæc *coram*: nam multi sermonis sunt. — *Cic. ad Attic.* vii. 3.

3. Sine me expurgem, atque illum huc *coram* adducam.
Ter. Andr. v. 3. 29.

CHAPTER XXXIII. Page 157.

Cum.

With, signifying society.

1. Quod pro Cornificio me abhinc amplius annis xxv. spopondisse dicit Flavius; etsi reus locuples est, et Apuleius prædiator liberalis; tamen velim des operam, ut investiges ex consponsorum tabulis, sitne ita. Mihi ante enim Ædilitatem meam nihil erat *cum* Cornificio. — *Cic. ad Attic.* xii. 17.

2. Vagamur egentes *cum* conjugibus et liberis. — *Cic. ad Attic.* viii. 2.

3. Præfecti regis Persiæ, legatos miserunt Athenas questum, quod Chabrias adversum regem bellum gereret *cum* Ægyptiis. — *Corn. Nep. Chabr.* c. 3.

With, signifying presence.

1. Bellum scripturus sum, quod populus Romanus *cum* Jugurtha, rege Numidarum, gessit. —*Sall. Jug.* c. 5.

2. Amo verecundiam, vel potius libertatem loquendi. Atqui hoc Zenoni placuit, homini mehercule acuto, etsi Academiæ nostræ *cum* eo magna rixa est. — *Cic. ad Fam.* ix. 22.

With, signifying accompaniment.

1. Si et ferro interfectus ille, et tu inimicus ejus *cum* gladio cruento comprehensus es in illo ipso loco, et nemo præter te ibi visus est; .... quid est, quod de facinore dubitare possimus? — *Cic. de Orat.* ii. 40.

2. Cum enim [Isocrates] videret, oratores *cum* severitate audiri, poetas autem *cum* voluptate: tum dicitur numeros secutus, quibus etiam in oratione uteremur, cum jucunditatis causa, tum ut varietas occurreret satietati. — *Cic. Orat.* c. 52.

3. Semper equidem magno *cum* metu incipio dicere. — *Cic. pro Cluent.* c. 18.

4. Etsi persapienter, et quodam modo tacite, dat ipsa lex potestatem defendendi; quæ non modo hominem occidi, sed esse *cum* telo hominis occidendi causa vetat: ut, cum causa, non telum quæreretur, qui sui defendendi causa telo esset usus, non hominis occidendi causa habuisse telum judicaretur. — *Cic. pro Milon.* c. 4.

With, rendered by *at*, *in*, *and*, and redundant.

1. Cum audivisset filius [Manlii], negotium exhiberi patri: accurrisse Romam, et *cum* prima luce Pomponii domum venisse dicitur. — *Cic. de Offic.* iii. 32.

2. Tu sic ordinem senatorium despexisti: sic ad injurias, libidinesque tuas omnia coæquasti: sic habuisti statutum *cum* animo, ac deliberatum, omnes qui habitarent in Sicilia, aut, qui Siciliam, te prætore, attigissent, judices rejicere. — *Cic. Verr.* ii. 3. 41.

3. ———Remo *cum* fratre Quirinus,
Jura dabunt. *Virg. Æn.* i. 292.

4. Castra expugnata sunt, atque ipse dux *cum* aliquot principibus capiuntur. — *Liv.* xxi. 60.

5. Ilia *cum* Lauso de Numitore sati.

Ovid. Fast. iv. 54.

6. Magna *cum* cura ego illum curari volo.

Plaut. Menæch. v. 4. 14.

7. Vinnius Valens meruit in prætorio Divi Augusti centurio, vehicula *cum* culeis onusta, donec exinanirentur, sustinere solitus. — *Plin. N. H.* vii. 20.

After its case, with EO.

1. Dicam de hoc ornithone, quod fructus causa faciunt, unde nonnullis sumuntur pingues turdi. Igitur testudo (ut peristylum tectum tegulis, aut rete) fit magna, in qua millia aliquot turdorum, ac merularum includere possint. Quidam *cum eo* adjiciunt præterea aves alias quoque, quæ pingues veneunt care, ut milliariæ, ac coturnices. — *Var. R. R.* iii. 5.

2. Plane te intelligere volui, mihi non excidisse illud, quod tu ad me quibusdam literis scripsisses; si nihil aliud de hac provincia, nisi illius [Bruti] benevolentiam, deportassem, mihi id satis esse. Sit sane; quoniam ita tu vis: sed tamen *cum eo* credo, quod sine peccato meo fiat. — *Cic. ad Attic.* vi. 1.

3. Antium nova colonia missa *cum eo*, ut Antiatibus permitteretur, si et ipsi adscribi coloni vellent. — *Liv.* viii. 15.

CHAPTER XXXIV. Page 164.

De.

From, of, out of, on.

1. Me pinguem et nitidum bene curata cute vises,
Cum ridere voles, Epicuri *de* grege porcum.
Hor. Epist. iv. 15.

2. Sed eccum Syrum ire video: hinc scibo jam, ubi siet.
Atque hercle hic *de* grege illo est: si me senserit
Eum quæritare, numquam dicet carnufex.
Ter. Ad. iii. 3. 8.

3. C. Albanius proximus est vicinus; is cIɔ jugerum *de* M. Pilio emit, ut mea memoria est, H-S cxv. Omnia scilicet nunc minoris. — *Cic. ad Attic.* xiii. 31.

4. Quod in epistola tua scriptum erat, me jam arbitrari designatum esse; scito, nihil tam exercitum esse nunc Romæ, quam candidatos, omnibus iniquitatibus; nec quando futura sint comitia sciri. Verum hæc audies *de* Philadelpho. — *Cic. ad Attic.* i. 11.

Of, from; omitted in English.

Postea Messalla consul in Senatu *de Pompeio quæsivit*, quid de religione, et de promulgata rogatione sentiret. — *Cic. ad Attic.* i. 14.

Of, from, out of, idiomatically.

1. Solent hoc boni imperatores facere, cum prælium committunt, ut in eo loco, quo fugam hostium fore arbitrentur, milites collocent: in quos, si qui ex acie fugerint, *de improviso* incidant. — *Cic. pro Rosc. Amerin.* c. 52.

2. De Attica nunc demum mihi est exploratum: itaque ei *de integro* gratulare. — *Cic. ad Attic.* xiii. 51.

3. Illæ quidem injuriæ, quæ nocendi causa *de industria* inferuntur, sæpe a metu proficiscuntur; cum is, qui nocere alteri cogitat, timet ne, nisi id fecerit, ipse aliquo afficiatur incommodo. — *Cic. de Offic.* i. 7.

From, out of, periphrastically.

1. Adversus eum terrorem dictator C. Marcius Rutilus primus *de plebe* dictus, magistrum equitum item *de plebe* C. Plautium dixit. — *Liv.* vii. 17.

2. Facile igitur hic noster (non enim declamatorem aliquem *de ludo*, aut rabulam *de foro*, sed doctissimum et perfectissimum quærimus) quoniam loci certi traduntur, percurret omnes; utetur aptis generatim. — *Cic. Orat.* c. 15.

From, out of, with the pronouns possessive.

1. —— Cum exponendam do illi, de digito anulum
Detraho: et eum dico ut una cum puella exponeret;
Si moreretur, ne expers partis esset *de* nostris bonis.
Ter. Heaut. iv. 1. 37.

2. Hic [Thrasybulus] enim quum Phylen confugisset (quod est castellum in Attica munitissimum), non plus habuit secum quam triginta *de* suis. — *Corn. Nep. Thrasyb.* c. 2.

Of or *belonging to, at the expense of,* with an ablative of the pronouns possessive.

1. At tua præcepta: *de meo* nihil his novum apposivi.
Plaut. Mil. Glorios. iii. 3. 31.

2. Tuum filium dedisti adoptandum mihi:
Is meus est factus: si quid peccat, Demea,
Mihi peccat: ego illi maximam partem feram.
Obsonat, potat, olet unguenta; *de meo.*
Ter. Adelph. i. 2. 34.

3. Ut decerneret senatus, ut stipendium miles *de publico* acciperet, quum ante id tempus *de suo* quisque functus eo munere esset. — *Liv.* iv. 59.

4. Ut primum Buthrotium agrum proscriptum vidimus, commotus Atticus libellum composuit. Eum mihi dedit, ut darem Cæsari: eram enim cœnaturus apud eum illo die. Eum libellum Cæsari dedi: probavit causam; rescripsit Attico, æqua eum postulare: admonuit tamen, ut pecuniam reliquam Buthrotii ad diem solverent. Atticus, qui civitatem conservatam cuperet, pecuniam numeravit *de suo.* — *Cic. ad Attic.* xvi. 17.

From, of, put for A.

1. Ego tua gratulatione commotus, quod ad me pridem scripseras velle te bene evenire, quod *de* Crasso domum emissem; emi eam ipsam domum xxxv, aliquanto post tuam gratulationem. — *Cic. ad Fam.* v. 6.

2. ——— Pa. Ah nescis quantis in malis verser miser;
Quantasque hic suis consiliis mihi confecit sollicitudines
Meus carnufex. Ch. Quid istuc tam mirum, *de* te si exemplum capit? *Ter. Andr.* iv. 1. 25.

From, at, or *by*, for A, applied to time.

1. Ut jugulent homines, surgunt *de* nocte latrones.
Hor. Epist. i. 2. 32.

2. Quod nisi crebris subsidiis, ac totius diei labore, milites fuissent defessi, omnes hostium copiæ deleri potuissent. *De* media nocte missus equitatus novissimum agmen consequitur. — *Cæs. de B. Gall.* vii. 88.

3. —— Mihi quærenti convivam dictus here illic
De medio potare die. *Hor. Sat.* ii. 8. 2.

4. Cœperunt epulari *de* die, et convivium non ex.... militari disciplina esse; sed, ut in civitate atque etiam domo luxuriosa, omnibus voluptatum inlecebris instructum. — *Liv.* xxiii. 8.

From or *after*, signifying continuation of time.

Interim Capitolinus exercitus, stationibus vigiliisque fessus, ... diem *de* die prospectans, ecquod auxilium ab dictatore adpareret; postremo spe quoque jam, non solum cibo, deficiente, et, quum stationes procederent, prope obruentibus infirmum corpus armis, vel dedi, vel redimi se, quacumque pactione possent, jussit. — *Liv.* v. 48.

From or *of*, signifying descent.

1. Tum *de* castello descendunt: in fundum proficiscuntur: videtur temere commissum. — *Cic. pro Cæcin.* c. 7.

2. HEG. Quo *de* genere natu 'st illic Philocrates?
PH. Polyplusio;
Quod genus illic est unum pollens atque honoratissumum. *Plaut. Capt.* ii. 2. 27.

Of, about, concerning, respecting, as to.

1. Helvetii, omnium rerum inopia adducti, legatos *de* deditione ad eum miserunt. — *Cæs. de B. Gall.* i. 27.

2. Nec vero habeo quenquam antiquiorem, cujus quidem scripta proferenda putem, nisi quem Appii Cæci oratio hæc ipsa *de* Pyrrho, et nonnullæ mortuorum laudationes forte delectant. — *Cic. de Clar. Orat.* c. 16.

3. Tu tamen *de* Curtio ad me rescribe certius, et, num quis in ejus locum paretur; et, quid *de* P. Clodio fiat. — *Cic. ad Attic.* ii. 5.

4. Illud me non præterit, cujusmodicunque mater sit, tamen in judicio filii *de* turpitudine parentis dici vix oportere. — *Cic. pro Cluent.* c. 6.

5. Sentio, judices, vos pro vestra humanitate, his tantis sceleribus breviter a me demonstratis, vehementer esse commotos. Quo tandem igitur animo fuisse illos arbitramini, quibus his *de* rebus non modo audiendum fuit, verum etiam judicandum? Vos auditis *de* eo, in quem judices non estis: *de* eo, quem non videtis: *de* eo, quem odisse jam non potestis: *de* eo, qui et naturæ, et legibus satisfecit: quem leges exilio, natura morte multavit: auditis non ab inimico: auditis sine testibus: auditis, cum ea, quæ copiosissime dici possunt, breviter a me strictimque dicuntur. Illi audiebant *de* eo, *de* quo jurati sententias ferre debebant: *de* eo, cujus præsentis nefarium et consceleratum vultum intuebantur: *de* eo, quem oderant propter audaciam: *de* eo, quem omni supplicio dignum esse ducebant: audiebant ab accusatoribus: audiebant verba multorum testium: audiebant, cum unaquaque *de* re a P. Canutio,

homine eloquentissimo, graviter et diu diceretur. — *Cic. pro Cluent.* c. 10.

6. *De* domo et Curionis oratione, ut scribis, ita est. — *Cic. ad Attic.* iii. 20.

By or *according to*, expressing a rule or opinion.

1. Quid sentis igitur? inquis. Nihil scilicet, nisi *de* sententia tua. — *Cic. ad Attic.* vii. 5.

2. Imperatores ad id bellum *de* omnium populorum sententia lecti Attius Tullus et C. Marcius exsul Romanus. — *Liv.* ii. 39.

3. Mollius, et solito matrum *de* more, locuta est.
Virg. Æn. vii. 357.

Between the adjective and substantive.

1. Si judicatum aliquod inferetur, quoniam id ex his locis maxime firmatur; laude eorum, qui judicarunt; similitudine ejus rei, qua *de* agitur, ad eam rem, qua *de* judicatum est; commemorando non modo non esse reprehensum judicium, sed ad omnibus approbatum; et demonstrando, difficilius, et majus fuisse id judicatum, quod afferatur, quam id, quod instet. — *Cic. de Invent.* i. 44.

2. Erant autem et verborum et sententiarum illa lumina, quæ vocant Græci σχήματα, quibus tanquam insignibus in ornatu distinguebatur omnis oratio. Qua *de* re agitur autem illud, quod multis locis in jurisconsultorum includitur formulis, et ubi esset, videbat. Accedebat ordo rerum plenus artis, actio liberalis, totumque dicendi placidum, et sanum genus. — *Cic. de Cl. Orat.* c. 79.

3. Illud quidem certe factum est, quod lex jubebat, ut apud duas civitates, Laodicensem et Apameensem, quæ nobis maximæ videbantur, quoniam ita necesse erat, rationes confectas et consolidatas deponeremus. Itaque huic loco primum respondeo, me quanquam justis *de* causis rationes deferre properarim, tamen te expectaturum fuisse, nisi in provincia relictas rationes pro latis haberem. — *Cic. ad Fam.* v. 20.

CHAPTER XXXV. Page 175.

E, Ex.

Difference between A and E.

Cum de vi interdicitur, [majores nostri] duo genera causarum esse intelligebant, ad quæ interdictum pertineret: unum, si qui *ex* loco, in quo esset: alterum, si *ab* eo loco, quo veniret, vi dejectus esset .... Id adeo, si placet, considerate. Si qui meam familiam de meo fundo dejecerit, *ex* eo me loco dejecerit. Si qui mihi præsto fuerit .... extra meum fundum, et me introire prohibuerit: non *ex* eo, sed *ab* eo loco me dejecerit. Ad hæc duo genera rerum, unum verbum, quod satis declararet utrasque res, invenerunt: ut, sive *ex* fundo, sive *a* fundo dejectus essem, uno, atque eodem interdicto restituerer, Unde vi. Hoc verbum, Unde, utrumque declarat: et *ex* quo loco, et *a* quo loco. Unde dejectus est Cinna? *ex* urbe. Unde dejecisti? *ab* urbe. Unde dejecti Galli? *a* Capitolio. Unde qui cum Graccho fuerunt? *ex* Capitolio. — *Cic. pro Cæcin.* c. 30.

From, for A.

1. ——— Postquam audivi illico
Ex meo servo, illam esse captivam, continuo argentum dedi,
Ut emeretur. *Plaut. Epid.* iv. 2. 36.

2. Cum te *ex* adolescentia tua in amicitiam et fidem meam contulisses, semper te non modo tuendum mihi, sed etiam augendum atque ornandum putavi. —*Cic. ad Fam.* vii. 17.

3. *Ex* Æthiopia est usque hæc. *Ter. Eun.* iii. 2. 18.

4. ——— Nam, ni impetro,
Regem perdidi: *ex* amore tantum 'st homini incendium. *Plaut. Asin.* v. 2. 68.

From, to express transition, differing from A.

1. ——— A parvulo ut semper tibi
Apud me justa et clemens fuerit servitus,
Scis. feci *ex* servo ut esses libertus mihi,
Propterea quod servibas liberaliter.
Ter. Andr. i. 1. 8.

2. Est adhuc, id quos vos omnes admirari video, non Verres, sed Q. Mucius. Quid enim facere potuit elegantius ad hominum existimationem? æquius ad levandam mulieris calamitatem? vehementius ad quæstoris libidinem coercendam? Summe hæc omnia mihi videntur esse laudanda. Sed repente e vestigio, *ex* homine, tanquam aliquo Circæo poculo, factus est Verres. Redit ad se, atque ad mores suos. Nam ex illa pecunia magnam partem ad se vertit: mulieri reddidit quantulum visum est. — *Cic. in Cæcil.* c. 17.

3. Confecit prior iter Cæsar; atque *ex* magnis rupibus nactus planiciem, in hac contra hostem aciem instruit. —*Cæs. B. Civ.* i. 70.

Signifying diminution, rendered in English by adjectives in *ish*.

1. Simile his et nomine et frutice cardamomum, se-

mine oblongo. Metitur eodem modo et in Arabia. Quatuor ejus genera: viridissimum ac pingue, acutis angulis contumax fricanti, quod maxime laudatur: proximum *e rufo candicans:* tertium brevius atque nigrius. Pejus tamen varium et facile tritu, odorisque parvi. — *Plin. N. Hist.* xii. 13.

2. Delphicam [laurum] æquali colore, viridiorem, maximis baccis atque *e viridi rubentibus.* Hac victores Delphis coronari, et triumphantes Romæ. — *Plin. N. Hist.* xv. 30.

3. Hemerocalles *pallidum e viridi* et molle folium habet, radice odorata atque bulbosa. — *Plin. N. Hist.* xxi. 21.

4. Sequens probatio, ut [mel] sit odoratum, et *ex dulci acre,* glutinosum, perlucidum. — *Plin. N. Hist.* xi. 15.

From, after.

1. Vidi ego sæpe histriones atque comœdos, cum *ex* aliquo graviore actu personam deposuissent, flentes adhuc egredi. — *Quintil. Instit.* vi. 2.

2. Quid? amat? ....
An in astu venit? aliud *ex* alio malum.
Ter. Eunuch. v. 5. 16.

After, from the time that.

1. Ego, cum sperarem aliquando ad vestrum consilium, auctoritatemque rempublicam esse revocatam, manendum mihi statuebam, quasi in vigilia quadam consulari, ac senatoria. Nec vero usquam discedebam, nec a republica dejiciebam oculos, *ex* eo die, quo in ædem Telluris convocati sumus. — *Cic. Philipp.* i. 1.

2. A. Cornelius et Q. Servilius quæstores M. Volscio, quod falsus haud dubie testis in Cæsonem exstitisset, diem dixerant. multis enim emanabat indiciis, neque fratrem Volscii, ex quo semel fuit æger, umquam non modo visum in publico, sed ne adsurrexisse quidem *ex* morbo, multorumque tabe mensium mortuum; nec his temporibus, in quæ testis crimen conjecisset, Cæsonem Romæ visum. — *Liv.* iii. 24.

3. Scribere præterea jussi septem millia peditum sociorum ac Latini nominis, et quadringentos equites; et mittere ad M. Marcellum in Galliam, cui *ex* consulatu prorogatum imperium erat. — *Liv.* xl. 1.

4. Diem *ex* die exspectabam, ut statuerem quid esset faciendum. — *Cic. ad Attic.* viii. 15.

According to.

1. Non enim falsum jurare, perjurare est: sed, quod *ex* animi tui sententia juraris, sicut verbis concipitur more nostro, id non facere, perjurium est. — *Cic. de Offic.* iii. 29.

2. Ridicule etiam illud L. Porcius Nasica censori Catoni, cum ille, "*Ex* tui animi sententia tu uxorem habes?" "Non, hercule," inquit, "*ex* animi mei sententia." — *Cic. de Orat.* ii. 64.

3. Sicilia tota, si una voce loqueretur, hoc diceret: Quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis urbibus, sedibus, delubris fuit; quod in unaquaque re beneficio senatus, populique Romani juris habui, id mihi tu, C. Verres, eripuisti, atque abstulisti: quo nomine abs te sestertium millies *ex* lege repeto. — *Cic. in Cæcil. c.* 5.

4. Oratori minimum est de arte loqui; .... multo maximum *ex* arte dicere. — *Cic. de Invent.* i. 6.

5. Quoniam enim natura suis omnibus expleri partibus vult, hunc statum corporis per se ipsum expetit, qui est maxime *e* natura. — *Cic. de Fin.* v. 17.

To the benefit of, for, i. e. *for the good of.*

1. De ea re ita censeo: "Cum Q. Cæpionis Bruti proconsulis opera, consilio, industria, et virtute, difficillimo reipublicæ tempore, provincia Macedonia, Illyricum, cuncta Græcia, legiones, exercitus, equitatus, in consulum, senatus, populique Romani potestate sint: id Q. Cæpionem Brutum, proconsulem, bene, et *e* republica, et pro sua, majorumque suorum dignitate, consuetudineque reipublicæ bene gerendæ fecisse, eamque rem senatui, populoque Romano gratam esse, et fore. — *Cic. Philipp.* x. 10.

2. Scripsi etiam ad Camillum, ad Lamiam: eoque magis, quod non confidebam Romæ te esse. Summa erit hæc; statues, ut *ex* fide, fama, reque mea videbitur. — *Cic. ad Attic.* v. 8.

From, owing to, of, in consequence of, expressing the cause; or *from, by,* expressing the agent.

1. Summum bonum esse heræ deputabam hunc Pamphilum,
Amicum, tutorem, virum in quovis loco
Paratum: verum *ex* eo nunc misera quem capit
Laborem? *Ter. Andr.* iv. 3. 2.

2. *Ex* ea re quid fiat, vide. *Ter. Andr.* ii. 3. 11.

3. Laborat *e* dolore; atque *ex* hoc misera sollicita est, diem
Quia olim in hunc sunt constitutæ nuptiæ.
Ter. Andr. i. 5. 33.

4. M. Ceparius, cum mihi in sylva Gallinaria obviam venisset, quæsissemque quid ageres, dixit te in lecto esse, quod *ex* pedibus laborares. — *Cic. ad Fam.* ix. 23.

5. ——— Pro supreme Juppiter!
Minime miror, qui insanire occipiunt *ex* injuria.
Ter. Adel. ii. 1. 42.

6. Sanus non est *ex* amore. *Plaut. Merc.* ii. 3. 106.

7. Gravida *e* Pamphilo est. *Ter. Andr.* i. 3. 11.

8. Nos hic te ad mensem Januarium expectamus, *ex* quodam rumore, an *ex* literis tuis ad alios missis? — *Cic. ad Attic.* i. 3.

From or *on.*

1. Jamque omnibus satis comparatis ad trajiciendum, terrebant *ex* adverso hostes, omnem ripam equites virique obtinentes. — *Liv.* xxi. 27.

2. Pugnare [primos] *ex* equo Thessalos, qui Centauri appellati sunt, habitantes secundum Pelium montem. — *Plin. N. Hist.* vii. 56.

3. Constituitur in foro Laodiceæ spectaculum acerbum, et miserum, et grave toti Asiæ provinciæ; grandis natu parens adductus ad supplicium; *ex* altera parte filius: ille, quod pudicitiam liberorum; hic, quod vitam patris, famamque sororis defenderat. Flebat uterque, non de suo supplicio, sed pater de filii morte, de patris filius. — *Cic. in Verr.* ii. 1. 30.

4. Si novum fœdus secum facere vellent, convenire prius de conditionibus debere: et, si in animum inducerent, ut *ex* æquo fœdus fieret, et se visurum, quid sibi faciundum esset, et illos credere reipublicæ consulturos. — *Liv.* xlii. 25.

5. At ego hoc *ex* contrario contendo. Levior esset auctoritas Cluvii, si diceret juratus, quam nunc est, cum dicit injuratus. — *Cic. pro Q. Rosc.* c. 16.

With an adjective and sometimes even with a substantive, adverbially.

1. Sunt his alii multum dispares, simplices et aperti: qui nihil *ex occulto*, nihil *ex insidiis* agendum putant, veritatis cultores, fraudis inimici. — *Cic. de Offic.* i. 30.

2. Hannibal ingentibus copiis peditum equitumque castra obpugnavit, et *ex parte* cepit. — *Liv.* xxvi. 13.

3. *Ex insperato* repente misistis nobis P. hunc Scipionem: quem, fortunatissimi omnium Saguntinorum videmur, quia consulem declaratum videmus. — *Liv.* xxviii. 39.

4. Ego, quia sciebam acta Bassi rescissa, datumque a senatu jus omnibus, de quibus ille aliquid constituisset, *ex integro* agendi duntaxat per biennium; interrogavi hunc, quem relegaverat, an adiisset, docuissetque proconsulem. Negavit. — *Plin. Epist.* x. 64.

5. Solis defectiones, itemque lunæ, prædicuntur in multos annos ab iis, qui siderum cursus et motus numeris persequuntur. Ea enim prædicunt, quæ naturæ necessitas perfectura est. Vident ex constantissimo motu lunæ, quando illa *e regione* solis facta incurrat in umbram terræ, quæ est meta noctis, ut eam obscurari necesse sit. — *Cic. de Div.* ii. 6.

From, i. e. *out of, from among, in.*

1. Hoc signum noctu clam istius servi *ex* illo religiosissimo, atque antiquissimo fano sustulerunt. — *Cic. in Verr.* ii. 4. 45.

2. Quod si exemeris *ex* natura rerum benevolentiæ vinctionem; nec domus ulla, nec urbs stare poterit. — *Cic. de Amic.* c. 7.

3. Ecce tibi alter, effusa jam maxima præda, quam *ex* fortunis publicanorum, *ex* agris urbibusque sociorum exhauserat, ... se ipsum, fasces suos, exercitum populi Romani, numen interdictumque deorum immortalium, responsa sacerdotum, auctoritatem senatus, jussa populi, nomen ac dignitatem imperii, regi Ægyptio vendidit. — *Cic. in Pison.* c. 21.

4. Viderunt ii, qui hæc machinabantur, si vobis *ex* omni populo deligendi potestas esset data, quæcunque res esset, in qua fides, integritas, virtus, auctoritas quæreretur, vos eam sine dubitatione ad Cn. Pompeium principem delaturos. — *Cic. de Leg. Agrar.* ii. 9.

5. Non tam ista me sapientiæ, quam modo Fannius commemoravit, fama delectat, falsa præsertim, quam quod amicitiæ nostræ memoriam spero sempiternam fore. Idque mihi eo magis est cordi, quod *ex* omnibus seculis vix tria, aut quatuor nominantur paria amicorum: quo in genere sperare videor Scipionis et Lælii amicitiam, notam posteritati fore. — *Cic. de Amic.* c. 4.

6. Ea res, ut est Helvetiis per indicium enunciata, moribus suis Orgetorigem *ex* vinculis caussam dicere coëgerunt. — *Cæs. de B. Gall.* i. 4.

From or *of*, signifying the materials *of* or *out of* which a thing is made.

1. Rex ita discessit, ut et istum copiose ornatum, et se honorifice acceptum arbitraretur. Vocat ad cœnam deinde ipse prætorem: exponit suas copias omnes, multum argentum, non pauca etiam pocula *ex* auro, quæ, ut mos est regius, et maxime in Syria, gemmis erant distincta clarissimis. Erat etiam vas vinarium *ex* una gemma pergrandi, trulla excavata, manubrio aureo. *Cic. in Verr.* ii. 4. 27.

2. Carus fuit Africano superiori noster Ennius. Itaque etiam in sepulcro Scipionum putatur is esse constitutus *e* marmore. — *Cic. pro Archia*, c. 9.

Periphrastically, especially after nouns partitive.

1. At beneficio sum usus tuo. . . . Sed quo beneficio? quod me Brundusii non occideris? Quem ipse victor, qui tibi, ut tute gloriari solebas, detulerat *ex* latronibus suis principatum, salvum esse voluisset, ... eum tu occideres? — *Cic. Philipp.* ii. 3.

2. Hannibal, quum, quid optimum foret hosti, cerneret, vix ullam spem habebat, temere atque inprovide quidquam consules acturos. quum alterius ingenium, fama prius, deinde re cognitum, percitum ac ferox sciret esse, ferociusque factum prospero cum prædatoribus suis certamine crederet; adesse gerendæ rei fortunam haud diffidebat. cujus ne quod prætermitteret tempus, sollicitus intentusque erat, dum tiro hostium esset miles, dum meliorem *ex* ducibus inutilem vulnus faceret, dum Gallorum animi vigerent. — *Liv.* xxi. 53.

Omitted in English.

1. Roges me, quid aut quale sit deus; auctore utar Simonide: de quo cum quæsivisset hoc idem tyrannus Hiero, deliberandi causa sibi unum diem postulavit. Cum idem *ex eo* postridie quæreret, biduum petivit. Cum sæpius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero requireret, cur ita faceret: Quia, quanto, inquit, diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior. — *Cic. de Nat. Deor.* i. 22.

2. Invitat Canius postridie familiares suos. Venit ipse mature. Scalmum nullum videt. Quærit *ex proximo vicino*, num feriæ quædam piscatorum essent, quod eos nullos videret. Nullæ, (quod sciam) inquit ille: sed hic piscari nulli solent; itaque heri mirabar, quid accidisset. — *Cic. de Offic.* iii. 14.

CHAPTER XXXVI. Page 192.

Palam.

Before, in presence of.

1. [Manlius], centurionem, nobilem militaribus factis, judicatum pecuniæ quum duci vidisset, medio foro cum caterva sua adcurrit, et manum injecit: vociferatusque de superbia Patrum, ac crudelitate fœneratorum, et miseriis plebis, virtutibus ejus viri fortunaque; "Tum vero ego," inquit, "nequidquam hac dextra Capitolium arcemque servaverim, si civem commilitonemque meum, tamquam Gallis victoribus captum, in servitutem ac vincula duci videam." Inde rem creditori *palam* populo solvit, libraque etære liberatum emittit. — *Liv.* vi. 14.

2. Marte *palam* simulat Vulcanum imitata, decebat;
Multaque cum forma gratia mista fuit.
Ovid. Art. Am. ii. 569.

Openly, publicly; adverbially.

1. Non enim ab iisdem accusatur M. Cælius, a quibus oppugnatur. *Palam* in eum tela jaciuntur, clam subministrantur. — *Cic. pro Cæl.* c. 9.

2. Ego consulem esse putem, qui senatum esse in republica non putavit? et sine eo consilio consulem numerem, sine quo Romæ ne reges quidem esse potuerunt? Etenim illa jam omitto: cum servorum delectus

haberetur in foro; arma in templum Castoris luce et *palam* comportarentur; id autem templum, sublato aditu, revulsis gradibus, a conjuratorum reliquiis atque a Catilinæ prævaricatore quondam, tum ultore, armis teneretur. — *Cic. in Pison.* c. 10.

Plain, public.

1. Pisces quidem auditus nec membra habent, nec foramina: audire tamen eos *palam* est: ut patet, cum plausu congregari feros ad cibum assuetudine in quibusdam vivariis spectetur. — *Plin. N. Hist.* x. 70.

2. Verum heus tu, hac lege tibi meam adstringo fidem:
Quæ vera audivi, taceo et contineo optime:
Sin falsum audierim ac fictum, continuo *palam* 'st:
Plenus rimarum sum, hac atque illac perpluo.
Ter. Eun. i. 2. 22.

CHAPTER XXXVII. Page 195.

Præ.

Before, in point of situation.

Herculem in ea loca, Geryone interemto, boves mira specie abegisse memorant, ac prope Tiberim fluvium, qua, *præ* se armentum agens, nando trajecerat, loco herbido, ut quiete et pabulo læto reficeret boves, et ipsum fessum via procubuisse. —*Liv.* i. 7.

Præ se ferre or gerere, *to profess* or *avow, to declare, to have the appearance of.*

1. Ego me in hac omni causa facile intelligebam pugnandi cupidis hominibus non satisfacere. Primum enim *præ me tuli*, me nihil malle quam pacem; non quin eadem timerem, quæ illi: sed ea bello civili leviora ducebam. — *Cic. ad Attic.* viii. 11.

2. Quamobrem fateor, atque etiam, T. Labiene, profiteor, et *præ me fero*, te ex illa crudeli, importuna, non tribunitia actione, sed regia, meo consilio, virtute, auctoritate esse depulsum. — *Cic. pro Rab.* c. 5.

3. Est porro quiddam, . . . quod et sua vi, et dignitate nos inductos ducit, et *præ se* quandam *gerit* utilitatem, quo magis expetatur; ut amicitia, bona existimatio. — *Cic. de Invent.* ii. 52.

In comparison of.

1. Tui te consilii pœnitet: et nos, qui domi sumus, tibi beati videmur: at contra nobis, non tu quidem vacuus molestiis, sed *præ* nobis beatus. — *Cic. ad Fam.* iv. 4.

2. Romam in montibus positam, et convallibus, cœnaculis sublatam atque suspensam, non optimis viis, angustissimis semitis, *præ* sua Capua, planissimo in loco explicata, ... irridebunt atque contemnent. Agros vero, Vaticanum, et Pupinium, cum suis optimis atque uberibus campis conferendos scilicet non putabunt. Oppidorum autem finitimorum illam copiam cum hac per risum, ac per jocum contendent: Labicos, Fidenas, Collatiam, ipsum hercle Lanuvium, Ariciam, Tusculum, cum Calibus, Teano, Neapoli, Puteolis, Cumis, Pompeiis, Nuceria comparabunt. — *Cic. Rull.* c. 35.

For or *through*, i. e. by reason of.

1. Ignosce, obsecro te: non possum *præ* fletu et dolore diutius in hoc loco commorari. — *Cic. ad Attic.* xi. 7.

2. Quid ille dux Leonidas dicit? "Pergite animo forti, Lacedæmonii: hodie apud inferos fortasse cœnabimus." Fuit hæc gens fortis, dum Lycurgi leges vigebant. E quibus unus, cum Perses hostis in colloquio dixisset glorians, "Solem *præ* jaculorum multitudine et sagittarum non videbitis:" "In umbra," inquit, "igitur pugnabimus." — *Cic. Tusc. Quæst.* i. 42.

3. *Præ* gaudio, ita me di ament, ubi sim nescio:
Ita timui. *Ter. Heaut.* ii. 3. 67.

4. Credo ut fit, misera *præ* amore exclusit hunc foras.
Ter. Eun. i. 2. 18.

5. Equidem me ad velitationem exerceo:
Nam omnia corusca *præ* tremore fabulor.
Plaut. Rud. ii. 6. 41.

Adverbially, with QUAM and UT, in comparison.

1. Sati 'n' parva res est voluptatum in vita,
Atque in ætate agunda,
Præ quam quod molestum est?
Plaut. Amphit. ii. 2. 1.

2. Hic vero est, qui si occeperit [amare],
Ludum jocumque dicas fuisse illum alterum,
Præut hujus rabies quæ dabit.
Ter. Eun. ii. 3. 8.

3. Sos. —— Perii! MERC. Parum etiam, *præut* futurum 'st, prædicas.
Plaut. Amphit. i. 1. 218.

4. Postea istam ipsam sententiam in Catonis oratione, quam dixit Numantiæ apud equites, positam legimus: quæ etsi laxioribus paulo longioribusque verbis comprehensa est, *præquam* illud Græcum quod diximus; quoniam tamen priore tempore, antiquiorque est, venerabilior videri debet. Verba ex oratione hæc sunt: "Cogitate cum animis vestris, si quid vos per laborem recte feceritis; labor ille a vobis cito recedet, bene factum a vobis, dum vivitis, non abscedet. Sed siqua per voluptatem nequiter feceritis; voluptas cito abibit, nequiter factum illud apud vos semper manebit."—*A. Gell.* xvi. 1.

CHAPTER XXXVIII. Page 201.

Pro.

For, i. e. *in exchange* or *return for*, or *on account of.*

1. Nonne, ubi mi dixti cupere te ex Æthiopia
Ancillulam, relictis rebus omnibus
Quæsivi? porro eunuchum dixti velle te,
Quia solæ utuntur his reginæ: repperi.
Heri minas *pro* ambobus viginti dedi.
Ter. Eun. i. 2. 85.

2. Ego pol te *pro* istis dictis et factis, scelus,
Ulciscar; ut ne inpune nos inluseris.
Ter. Eun. v. 4. 19.

For, i. e. *instead of.*

1. ——— Ch. Quid tum postea?
Pa. *Pro* illo te deducam. *Ter. Eun.* ii. 3. 79.

2. Qui primum, qua veneris cum laureatis tuis lictoribus, quis scit? quos tum Mæandros, dum omnes solitudines persequeris, quæ diverticula flexionesque quæsisti? quod te municipium vidit? quis amicus invitavit? quis hospes adspexit? nonne tibi nox erat *pro* die? non solitudo *pro* frequentia? caupona *pro* oppido? non ut redire ex Macedonia nobilis imperator, sed ut mortuus infamis referri videretur? — *Cic. in Pison.* c. 22.

3. Gravis est modus in ornatu orationis, et sæpe sumendus: ex quo genere hæc sunt, Martem belli esse communem; Cererem *pro* frugibus; Liberum appellare *pro* vino; Neptunum *pro* mari; curiam *pro* senatu; campum *pro* comitiis; togam *pro* pace; arma ac tela *pro* bello. — *Cic. de Orat.* iii. 42.

4. Cato ille noster, qui mihi unus est *pro* centum millibus. — *Cic. ad Attic.* ii. 5.

For, as, i. e. *equivalent to.*

1. ——— Ego hunc majorem adoptavi mihi:
Eduxi a parvulo, habui, amavi *pro* meo.
Ter. Adel. i. 1. 22.

2. Pompeium *pro* certo habemus per Illyricum proficisci in Galliam. — *Cic. ad Attic.* x. 6.

3. Ita studiosus est hujus præclaræ existimationis, ut putetur in hisce rebus intelligens esse, ut nuper (videte hominis amentiam) posteaquam est comperendinatus, cum jam *pro* damnato, mortuoque esset, ludis Circensibus mane apud L. Sisennam, virum primarium, cum essent triclinia strata, argentumque expositum in ædibus; . . . . accesserit ad argentum: contemplari unumquodque otiose, et considerare cœperit. — *Cic. in Verr.* ii. 4. 15.

4. Non dubito, quin, quod me valde velle putes, in eo tu me ipsum cupiditate vincas. Itaque istuc jam *pro* facto habeo. — *Cic. ad Attic.* xii. 1.

For, i. e. *to the advantage of, in favour of.*

1. Quare hoc, quod complector tantam scientiam vimque doctrinæ, non modo non *pro me*, sed contra me est potius (non enim, quid ego, sed quid orator possit, disputo). — *Cic. de Orat.* iii. 20.

2. Adherbalem dolis vitæ suæ insidiatum; quod ubi comperisset, sceleri obviam isse: populum Romanum neque recte neque *pro bono* facturum, si ab jure gentium sese prohibuerint. — *Sal. Jug.* c. 22.

3. Quæ antea *pro illis* erant, in contrarium conversa sunt. — *Q. Curt.* iv. 14.

For, i. e. *in defence of.*

1. Tunc admiscere huic generi orationis vehementi atque atroci genus illud alterum, de quo ante disputavi, lenitatis et mansuetudinis cœpi; me *pro* meo sodali, qui mihi in liberum loco more majorum esse deberet, et *pro* mea omni fama prope, fortunisque decernere. — *Cic. de Orat.* ii. 49.

2. Phyllida mitte mihi, meus est natalis, Iola.
Cum faciam vitula *pro* frugibus, ipse venito.
Virg. Ecl. iii. 76.

In proportion or *according to.*

1. Prætores Q. Pompeius Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in agrum Picenum [missi]; iisque permissum, uti *pro* tempore atque periculo, exercitum compararent. — *Sall. Cat.* c. 29.

2. Cum, in Isara flumine uno die ponte effecto, exercitum traduxissem, *pro* magnitudine rei celeritatem adhibens, quod petierat per literas ipse, ut maturarem venire: præsto mihi fuit stator ejus cum literis, quibus ne venirem denuntiabat; se posse per se conficere negotium; interea ad Isaram expectarem. — *Cic. ad Fam.* x. 21.

3. Duo talenta *pro* re nostra ego esse decrevi satis:
Sed ita dictu est opus, si me vis salvum esse et rem et filium,
Me mea omnia bona doti dixisse illi.

Ter. Heaut. v. 1. 67.

4. Quæ cum ita sint, Judices, ... vos, *pro* mea summa et vobis cognita in rempublicam diligentia, moneo, *pro* auctoritate consulari hortor, *pro* magnitudine periculi obtestor, ut otio, ut paci, ut saluti, ut vitæ vestræ, et cæterorum civium, consulatis. — *Cic. pro Muren.* c. 40.

5. Postea quam mihi renuntiatum est de obitu Tulliæ, filiæ tuæ, sane quam *pro* eo, ac debui, graviter molesteque tuli. — *Cic. ad Fam.* iv. 5.

6. Diem tuum ego quoque ex epistola quadam tua, quam incipiente febricula scripseras, mihi notaveram; et animadverteram, posse, *pro* re nata, te non incommode ad me in Albanum venire III Nonas Jan. — *Cic. ad Attic.* vii. 8.

7. Ad cœnam tempore venit Canius: opipare a Pythio apparatum convivium: cymbarum ante oculos multitudo. *Pro* se quisque quod ceperat, afferebat: ante pedes Pythii pisces abjiciebantur. — *Cic. de Offic.* iii. 14.

Before or *on*, referred to place.

1. Numidæ, sæpe antea vineis Romanorum subvorsis, item incensis, non castelli mœnibus sese tutabantur; sed *pro* muro dies noctisque agitare. — *Sall. Jug.* c. 94.

2. Cæsar Alexandria se recepit, felix, ut sibi quidem videbatur: mea autem sententia, si quis reipublicæ sit infelix, felix esse non potest. Hasta posita *pro* æde Jovis Statoris, bona Cn. Pompeii (miserum me! con-

sumptis enim lacrymis, tamen infixus animo hæret dolor) bona, inquam, Cn. Pompeii Magni, voci acerbissimæ subjecta præconis. — *Cic. Philipp.* ii. 26.

3. Nuper in Prænestino recessu vespertina ambulatione solus ambulans considerabam; qualis quantaque esset particularum quarumdam in oratione Latina varietas. quod genus est præpositio, *pro*. Aliter enim dici videbam, pontifices *pro* collegio decrevisse; aliter, quempiam testem introductum *pro* testimonio dixisse: aliter M. Catonem in Originum quarto, prælium factum depugnatumque *pro* castris, scripsisse: et item in quinto, urbis, insulasque omnis agro *pro* Illyrio esse: aliter etiam dici, *pro* æde Castoris: aliter, *pro* rostris: aliter, *pro* tribunali: aliter, *pro* concione: atque aliter, tribunum plebis *pro* potestate intercessisse. Sed has omnis dictiones, qui aut omnino similes et pares, aut usquequaque diversas existimaret, errare arbitrabar. nam varietatem istam ejusdem quidem fontis et capitis, non ejusdem tamen esse finis putabam. — *A. Gell.* xi. 3.

4. Hac re *pro* suggestu pronunciata, eodem die cum legionibus in Senones proficiscitur. — *Cæs. B. Gall.* vi. 3.

5. Quid enim si præcipias imperatori, quoties aciem instruet, dirigat frontem, cornua utrimque promoveat, equites *pro* cornibus locet? Erit hæc quidem rectissima fortasse ratio, quoties licebit: sed mutabitur natura loci. — *Quintil. Instit.* ii. 14.

CHAPTER XXXIX. Page 210.

Sine.

Signifies privation, or being *without* a thing.

1. ——— Simul ac duraverit ætas
Membra animumque tuum, nabis *sine* cortice.
Hor. Sat. i. 4. 119.

2. Non fit *sine* periclo facinus magnum et commemorabile. *Ter. Heaut.* ii. 3. 73.

3. Homo *sine* re, *sine* fide, *sine* spe, *sine* sede, *sine* fortunis. — *Cic. pro Cæl.* c. 32.

4. Sed ego ne cum ista quidem arte pugno. Sit sane tanta, quantam tu illam esse vis: etenim *sine* controversia et magna est, et late patet, et ad multos pertinet, et summo in honore semper fuit, et clarissimi cives ei studio etiam hodie præsunt: sed vide, Crasse, ne, dum novo et alieno ornatu velis ornare juris civilis scientiam, suo quoque eam concesso et tradito spolies, atque denudes. — *Cic. de Orat.* i. 55.

CHAPTER XL. Page 211.

CLAM, and its diminutive CLANCULUM.

Secretly, unknown to, with an accusative.

1. Miser amicam mihi paravi, animi causa, pretio,
Ratus *clam* patrem meum posse habere.
Is rescivit, et vidit, et perdidit me.
Plaut. Merc. ii. 3. 7.

2. ——— Ut mihi
Bona multa faciam, *clam* meam uxorem!
Plaut. Cas. ii. 8. 31.

3. —— Alii *clanculum*
Patres quæ faciunt, quæ fert adulescentia,
Ea ne me celet, consuefeci filium.
Ter. Adel. i. 1. 27.

With an ablative case.

1. Emta est amica *clam* uxore mea et filio.
Plaut. Merc. iii. 2. 2.

2. Uxor viro si *clam* domo egressa 'st foras,
Viro fit causa; exigitur matrimonio.
Plaut. Merc. iv. 6. 5.

Adverbially.

1. Multa palam domum suam auferebat: plura *clam* de medio removebat: non pauca suis adjutoribus large effuseque donabat: reliqua, constituta auctione, vendebat. — *Cic. pro Rosc. Amer.* c. 8.

2. Neque cessavit ex eo insidias struere fratri *clam* palamque. — *Suet. Domit.* c. 2.

CHAPTER XLI. Page 213.

In.

To or *unto*, for AD, with an accusative case.

1. Pecuniamque, ac dona, queis solis corrumpantur, majora apud Romanos: et neminem adeo *in* arma pronum, ut non idem pretium quietis, quam periculi, malit. — *Tac. Hist.* iv. 76.

2. Nostri lætari, nonnulli etiam timere; quod *in* eum locum res fortunæque omnium deducerentur, ut, quidquid post horam casus tribuisset, in dubio poneretur. — *Hirt. Bel. Hisp.* c. 29.

3. Tertio nonas cum *in* Laterium fratris venissem, accepi literas, et paulum respiravi. — *Cic. ad Attic.* x. 1.

Into, with an accusative case.

1. Forte inter Padum viamque, patenti campo, duæ legiones congressæ sunt: pro Vitellio unaetvicesima, cui cognomen Rapaci, vetere gloria insignis: e parte Othonis, prima Adjutrix, non ante *in* aciem deducta, sed ferox, et novi decoris avida. — *Tac. Hist.* ii. 43.

2. Tu vero, Cæcili, quid potes? quo tempore, aut quá in re non modo specimen cæteris aliquod dedisti, sed tute tui periculum fecisti? *In* mentem tibi non venit, quid negotii sit causam publicam sustinere? — *Cic. in Cæcil.* c. 8.

3. Nunc (edepol) demum *in* memoriam regredior, audisse me,
Quasi per nebulam, Hegionem patrem meum vocarier. *Plaut. Capt.* v. 4. 26.

4. Ire modo ocyus, interdum consistere: *in* aurem
Dicere nescio quid puero. *Hor. Sat.* i. 9. 9.

5. *In* nova fert animus mutatas dicere formas
Corpora. *Ovid. Met.* i. 1.

To or *unto.*

1. Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos
In tantum spe tollet avos. *Virg. Æn.* vi. 875.

2. Tum senatus populusque Romanus Æmilium Paulum, qui et prætor et consul triumphaverat, virum *in* tantum laudandum, in quantum intelligi virtus potest, consulem creavit. — *Paterc.* i. 9.

3. Pix Nemeturica in Liguria conficitur. ea deinde ut fiat condituris idonea, aqua marina quam longissime a littore de pelago sumenda est, atque *in* dimidiam partem decoquenda: quæ cum in tantum refrixerit, quantum ne contacta corpus urat, partem aliquam ejus, quæ satis videbitur, prædictæ pici immiscemus, et diligenter lignea spatha, vel etiam manu peragitabimus, ut siquid inest vitii eluatur: deinde patiemur picem considere, et cum siderit, aquam eliquabimus; postea bis, aut ter ex reliqua parte aquæ decoctæ tamdiu lavabimus, et subigemus eam, donec rutila fiat: tum eliquatam in sole quatuordecim diebus patiemur esse, ut quisquis ex aqua humor remansit, assiccetur. noctibus autem vas tegendum erit, ne irroretur. Cum hoc modo picem præparaverimus, et vina, cum jam bis deferbuerint, condire voluerimus, *in* musti sextarios octo et quadraginta, cyathos duos picis prædictæ sic adjiciemus. — *Columell. R. R.* xii. 24.

To or *towards*, for ADVERSUS.

1. Prædium quum parare cogitabis, ... si poteris, sub radice montis siet, *in* meridiem spectet, loco salubri, operariorum copia siet, bonumque aquarium, oppidum validum prope siet, aut mare, aut amnis, qua naves ambulant, aut via bona, celebrisque. Siet in iis agris, qui non sæpe dominos mutant, qui in his agris prædia vendiderint, quos pigeat vendidisse. — *Cato R. R.* i. 1.

2. Si nos, id quod maxime debet, nostra patria delectat, cujus rei tanta est vis, ac tanta natura, ut Ithacam illam in asperrimis saxulis, tanquam nidulum, affixam, sapientissimus vir immortalitati anteponeret; quo amore tandem inflammati esse debemus *in* ejusmodi patriam, quæ una in omnibus terris domus est virtutis, imperii, dignitatis? — *Cic. de Orat.* i. 44.

Against, for CONTRA.

1. Equos dehinc, orsus a suis, legatorum tribunorumque, nulla ambitione, fortissimo cuique bellatori tradit, ut hi, mox pedes, *in* hostem invaderent. — *Tac. Ann.* i. 67.

2. Si quid *in* te peccavi, ac potius, quoniam peccavi, ignosce. *In* me enim ipsum peccavi violentius. — *Cic. ad Attic.* iii. 15.

3. [Oratorem conquirimus qui possit] languentem, labentemque populum aut ad decus excitare, aut ab errore deducere, aut inflammare *in* improbos, aut incitatum *in* bonos mitigare. — *Cic. Orat.* i. 46.

Into, i. e. in the form or manner of, according to, for SECUNDUM.

1. Portus ab Eoo fluctu curvatur *in* arcum.

Virg. Æn. iii. 533.

2. ——— Teucros vocat alta in templa sacerdos.
Excisum Euboïcæ latus ingens rupis *in* antrum.
Virg. Æn. vi. 41.

3. Diversi Volsci, hinc consulem ac legiones sustinere, altera fronte instare Tempanio atque equitibus. qui quum sæpe conati nequissent perrumpere ad suos, tumulo quodam occupato, *in* orbem se tutabantur, nequaquam inulti. — *Liv.* iv. 39.

4. Forte sacer Cybele Chloreus, olimque sacerdos,
Insignis longe Phrygiis fulgebat in armis:
Spumantemque agitabat equum, quem pellis ahenis
In plumam squamis auro conserta tegebat.
Virg. Æn. xi. 768.

5. Cur paucis centurionibus, paucioribus tribunis, *in* modum servorum obedirent. — *Tac. Ann.* i. 17.

6. ——— Ille retorto
Pæonium *in* morem senior succinctus amictu,
Multa manu medica Phœbique potentibus herbis
Nequicquam trepidat. *Virg. Æn.* xii. 400.

7. Tum vero *in* numerum Faunosque ferasque videres
Ludere. *Virg. Ecl.* vi. 27.

8. Idus tum Maiæ sollemnes ineundis magistratibus erant. Initio igitur magistratus primum honoris diem denunciatione ingentis terroris insignem fecere. nam quum ita priores servassent, ut unus fasces haberet, et hoc insigne regium *in* orbem, suam cujusque vicem, per omnes iret, subito omnes cum duodenis fascibus prodiere. — *Liv.* iii. 36.

9. Sed, dum in hac parte imperii omnia geruntur prosperrime, accepta in Germania clades sub legato M. Lollio, homine *in* omnia pecuniæ quam recte faciendi cupidiore. — *Paterc.* ii. 97.

10. Inter plures duces virtute et genere præstans, nomine Calgacus, apud contractam multitudinem, prælium poscentem, *in* hunc modum locutus fertur. — *Tac. Agric.* c. 29.

On or *upon*, for SUPER or AD.

1. Ne sic quidem potens corporis, rursus *in* genua procumbit. — *Q. Curt.* ix. 5.

2. ——— Domus ingenti subito mea lapsa ruina
Concidit, *in* domini procubuitque caput.
Ovid. ex Pont. i. 9. 13.

3. Quidam judicatus est parentem occidisse. Ei statim, quod effugiendi potestas non fuit, ligneæ soleæ *in* pedes inductæ sunt: os autem obvolutum est folliculo, et præligatum: deinde est in carcerem deductus, ut ibi esset tantisper, dum culeus, in quem conjectus in profluentem deferretur, compararetur. — *Cic. de Invent.* ii. 50.

4. Terra, etsi aliquanto specie differt, *in* universum tamen aut sylvis horrida, aut paludibus fœda. — *Tac. Germ.* c. 5.

5. *In* utram partem respondere possumus. — *Cic. Lucul.* c. 32.

Over, for SUPER.

1. *In* filium quam habebam potestatem, ea usus sum. — *Cic. de Invent.* ii. 17.

2. Omnia, Judices, in hac causa sunt misera, atque indigna: tamen hoc nihil neque acerbius, neque iniquius proferri potest: mortis paternæ de servis paternis quæstionem habere filio non licet: ne tamdiu quidem dominus erit *in* suos, dum ex iis de patris morte quæratur. — *Cic. pro Sext. Rosc.* c. 28.

For, used for AD, PRO, or PROPTER.

1. Ut desiderat autem laus, quæ negotiis adhibetur, probationem; sic etiam illa, quæ ostentationi componitur, habet interim aliquam speciem probationis; ut qui Romulum Martis filium, educatumque a lupa, dicat, *in* argumentum cœlestis ortus utatur his, quod, abjectus in profluentem, non potuerit exstingui. — *Quintil. Instit.* iii. 7.

2. *In* classem cadit omne nemus. *Lucan.* i. 306.

3. ——— Puerum inde abiens conspexi Chremi
Olera et pisciculos minutos ferre *in* cœnam obolo seni. *Ter. Andr.* ii. 2. 31.

4. Si *in* rem 'st utrique ut fiant, accersi jube.
Sed si ex ea re plus mali 'st quam commodi
Utrique, id oro te, *in* commune ut consulas,
Quasi illa tua sit, Pamphilique ego sim pater.
Ter. Andr. iii. 3. 14.

5. ——— Qui cornipedes *in* pocula vulnerat audax
Massagetes. *Claudian. Rufin.* i. 311.

For, signifying distribution of quantity.

1. Minucius bove aurato extra portam Trigeminam est donatus, ne plebe quidem invita, quia frumentum Mælianum, assibus *in* modios æstimatum, plebi divisit. —*Liv.* iv. 16.

2. Bina boum vobis Troja generatus Acestes
Dat numero capita *in* naves. *Virg. Æn.* v. 61.

For, expressive of future time.

1. Quantum diversitas temporum posset, tum maxime cognitum est, cum iisdem, quibus antea cautibus inno-

centissimus quisque, tunc nocentissimus affigeretur; cumque insulas omnes, quas modo senatorum, jam delatorum turba compleret; quos quidem, non *in* præsens tantum, sed *in* æternum, repressisti, in illa pœnarum indagine inclusos. — *Plin. Paneg.* xxxv. 2.

2. Cephaledi mensis est certus, quo mense sacerdotem maximum creari oporteat. Erat ejus honoris cupidus Artemo quidam, Climachias cognomine, homo sane locuples, et domi nobilis: sed is fieri nullo modo poterat, si Herodotus quidam adesset. Ei locus ille atque honos *in* illum annum ita deberi putabatur, ut ne Climachias quidem contra diceret. — *Cic. in Verr.* ii. 2. 52.

3. PSEUD. I hac. BAL. Te sequor. Quin vocas spectatores simul? PSEUD. Hercle, me isti
Haud solent vocare, neque ergo ego istos. Verum, si voltis applaudere,
Atque approbare hunc gregem et fabulam, *in* crastinum vos vocabo.

Plaut. Pseudol. v. 2. 31.

4. ——— Currus rogat ille paternos,
*In*que diem alipedum jus et moderamen equorum.

Ovid. Met. ii. 48.

5. C. Canius, eques Romanus, dictitabat, se hortulos aliquos velle emere, quo invitare amicos, et ubi se oblectare sine interpellatoribus posset. Quod cum percrebuisset, Pythius ei quidam, qui argentariam faceret Syracusis, venales quidem se hortos non habere, sed licere uti Canio, si vellet, ut suis: et simul ad cœnam hominem in hortos invitavit *in* posterum diem. — *Cic. de Offic.* iii. 14.

For *until.*

1. Hesterno fœtere mero qui credit Acerram,
   Fallitur: *in* lucem semper Acerra bibit.

Martial. i. 29.

2. Ipse jus dixit assidue, et *in* noctem nonnunquam.—*Sueton. Aug.* c. 33.

3. Dilata res est *in* proximum senatum, cujus ipse conspectus augustissimus fuit. Princeps præsidebat, erat enim consul: ad hoc, Januarius mensis, cum cætera, tum præcipue senatorum frequentia, celeberrimus: præterea causæ amplitudo, auctaque dilatione exspectatio et fama, insitumque mortalibus studium magna et inusitata noscendi, omnes undique exciverat. —*Plin. Epist.* ii. 11.

4. Post solem, plerumque frigida lavabatur: deinde gustabat, dormiebatque minimum. Mox, quasi alio die, studebat *in* cœnæ tempus. —*Plin. Epist.* iii. 5.

By, expressive of time.

1. Cum serperet in urbe infinitum malum, idque manaret *in dies* latius: iidemque bustum in foro facerent, qui illam insepultam sepulturam effecerant: et quotidie magis magisque perditi homines, cum sui similibus servis, tectis ac templis urbis minarentur: talis animadversio fuit Dolabellæ, cum in audaces sceleratosque servos, tum in impuros et nefarios liberos; talisque eversio illius execratæ columnæ, ut mirum mihi videatur, tam valde reliquum tempus ab illo uno die dissensisse. — *Cic. Philipp* i. 2.

2. In hoc discrimen, si juvat, adcingere, ut *in singulas horas* capite dimices tuo; ferrum hostemque in vestibulo habeas regiæ. —*Liv.* ii. 12

3. Vixit inæqualis, clavum ut mutaret *in horas*.

Hor. Sat. ii. 7. 10.

4. In Italia bellum gerimus, in sede ac solo nostro. omnia circa plena civium ac sociorum sunt. armis, viris, equis, commeatibus juvant, juvabuntque. id jam fidei documentum in adversis rebus nostris dederunt. meliores, prudentiores, constantiores nos tempus diesque facit. Hannibal contra in aliena, in hostili est terra, inter omnia inimica infestaque, procul ab domo, procul ab patria. neque illi terra, neque mari est pax: nullæ eum urbes accipiunt, nulla mœnia: nihil usquam sui videt: *in diem* rapto vivit. — *Liv.* xxii. 40.

In, implying intimate connection.

1. Quid igitur nobis faciendum est? num argumentis utendum *in* re ejusmodi? quærendum est, credo, Heius iste num æs alienum habuerit, num auctionem fecerit: si fecit, num tanta difficultas eum rei nummariæ tenuerit, tanta egestas, tanta vis oppresserit, ut sacrarium suum spoliaret, ut deos patrios venderet. At hominem video auctionem fecisse nullam: vendidisse, præter fructus suos, nihil unquam: non modo *in* ære alieno nullo, sed *in* suis nummis multis esse, ac semper fuisse. — *Cic. in Verr.* ii. 4. 6.

2. Sed quoniam acerbum quoque esse hoc genus pœnæ putas: quæ, obsecro te, ista acerbitas est, si idem fiat *in* te, quod tute *in* alio feceris? — *A. Gell.* xxi. 1. med.

3. Cum autem pulchritudinis duo genera sint, quorum *in* altero venustas sit, *in* altero dignitas: venustatem, muliebrem ducere debemus; dignitatem, virilem. — *Cic. de Offic.* i. 36.

4. Quæ res et paucitatem eorum insigrem, et multi-

tudinem Etruscorum, multiplicatis *in* arto ordinibus, faciebat. —*Liv.* ii. 50.

5. Scio tibi eum non esse odio. Quam velis eum obligare, *in* tua manu est. —*Cic. ad Fam.* viii. 6.

In the case of, with respect to, towards, or *to.*

1. Ut mihi videris, non recte judicas de Catone. Aut enim nemo, quod quidem magis credo, aut, si quisquam, ille sapiens fuit. Quomodo enim (ut alia omittam) mortem filii tulit? Memineram Paulum, videram Gallum: sed hi *in* pueris; Cato *in* perfecto et spectato viro. — *Cic. de Amic.* c. 2.

2. Ille deus, bene quo Romana potentia nixa est,
Sæpe suo victor lenis *in* hoste fuit.
Ovid. Trist. v. 2. 35.

3. Sint sane, quoniam ita se mores habent, liberales ex sociorum fortunis; sint misericordes *in* furibus ærarii: ne illis sanguinem nostrum largiantur; et, dum paucis sceleratis parcunt, bonos omnes perditum eant. — *Sall. Cat.* c. 52.

For DE, *concerning, about, of, at.*

1. *In* quo igitur homines exhorrescunt? quem stupefacti dicentem intuentur? *in* quo exclamant? quem deum, ut ita dicam, inter homines putant? Qui distincte, qui explicate, qui abundanter, qui illuminate et rebus, et verbis dicunt, et in ipsa oratione quasi quendam numerum versumque conficiunt; id est, quod dico, ornate. — *Cic. de Orat.* iii. 14.

2. In Equo Trojano scis esse in extremo, "Sero sapiunt." Tu tamen, mi vetule, non sero. Primas illas rabiosulas sat fatuas dedisti: deinde, quod *in* Britannia

non nimis φιλοθέωρον te præbuisti, plane non reprehendo. —*Cic. ad Fam.* vii. 16.

3. Ridiculum est illud Neronianum vetus *in* furace servo, "Solum esse, cui domi nihil sit nec obsignatum, nec occlusum:" quod idem *in* bono servo dici solet. — *Cic. de Orat.* ii. 61.

For INTER, *among*.

1. Hoc primum sentio, nisi *in* bonis amicitiam esse non posse. — *Cic. de Amic.* c. 5.

2. In Britannia nihil esse audio, neque auri, neque argenti. Id si ita est, essedum aliquod suadeo capias, et ad nos quam primum recurras. Sin autem sine Britannia tamen assequi, quod volumus, possumus; perfice ut sis *in* familiaribus Cæsaris. — *Cic. ad Fam.* vii. 7.

3. Omnia vero, quæ secundum naturam fiunt, sunt habenda *in* bonis. Quid est autem tam secundum naturam, quam senibus emori. — *Cic. de Senect.* c. 19.

IMPRIMIS, *especially*, *particularly*, i. e. among the first things.

1. [Eum] nos, et quia tuus, et quia te dignus est filius, et quia nos diligit, semperque dilexit, *in primis* amamus, carumque habemus. — *Cic. ad Fam.* i. 7.

2. Omnes cupimus, ego *in primis*, quam primum te videre, sed, mi Tiro, valentem.— *Cic. ad Fam.* xvi. 3.

On, for SUPER or A.

1. Ea denique atrocitas fuit prœlii, ut interfuisse spectaculo deos fama tradiderit: duos *in* candidis equis; Castorem atque Pollucem nemo dubitavit. — *Flor.* i. 11.

2. Nocturna ea dimicatio fuit, et luna *in* partibus:

quippe, quasi commilitans, cum a tergo se hostibus, a facie Romanis præbuisset, Pontici per errorem longius cadentes umbras suas, quasi hostium corpora, petebant. — *Flor.* iii. 5.

3. Talibus Æneadæ donis dictisque Latini
Sublimes *in* equis redeunt. *Virg. Æn.* vii. 284.

For CUM, *with.*

Hunc rex sapientissimus statum reipublicæ imposuit: juventus, divisa per tribus, *in* equis et armis ut ad subita belli excubaret; consilium reipublicæ penes senes esset, qui ex auctoritate Patres, ob ætatem Senatus vocabantur. —*Flor.* i. 1.

For EX, *out of* or *from.*

1. Nihil interim per id omne tempus residuum crudelitatis fuit in captivos sævientibus: litare diis sanguinem humanum: bibere *in* ossibus capitum, et cujusquemodi ludibrio fœdare mortem tam igni quam fumo. — *Flor.* iii. 4.

2. Quod incommodi tibi *in* hac re accipies, nisi caves?
Ter. Heaut. v. 1. 59.

3. ———Ostro lectus Iliaco nitet;
Merumque *in* auro veteris Assaraci trahunt.
Senec. Agam. 877.

In, *at*, or *on*, i. e. during.

1. *In* hoc spatio, et *in* iis post ædilitatem annis, et prætor primus, et incredibili populari voluntate sum factus. — *Cic. de Cl. Orat.* c. 93.

2. *In* cognoscendo tute ipse aderis.
Ter. Eun. v. 2. 54.

3. ——— Ex ipsa *in* itere hoc, alteræ
Dum narrat, forte audivi. *Ter. Heaut.* ii. 3. 30.

4. *In* exitu est jam meus consulatus: nolite mihi subtrahere vicarium meæ diligentiæ: nolite adimere eum, cui rempublicam cupio tradere incolumem, ab his tantis periculis defendendam.—*Cic. pro Muren.* c. 37.

5. Sed quoniam non possunt omnia simul dici, hæc *in præsentia* nota esse debebunt.—*Cic. de Fin.* v. 8.

Within.

1. Fere *in* diebus paucis, quibus hæc acta sunt,
Chrysis vicina hæc moritur. *Ter. Andr.* i. 1. 77.

2. Credo equidem potesse te, scelus, Massici montis uberrumos quatuor
Fructus ebibere *in* hora una.
Plaut. Pseud. v. 2. 10.

3. ———*In* hora sæpe ducentos,
Ut magnum, versus dictabat, stans pede in uno.
Hor. Sat. i. 4. 9.

Periphrastically.

1. Pampinatio verna *in confesso est*, ab Idibus Maiis, intra dies x. utique antequam florere incipiat.—*Plin. N. H.* xvii. 22.

2. Adeo moderatio tuendæ libertatis, dum æquari velle simulando ita se quisque extollit, ut deprimat alium, *in difficili est.*—*Liv.* iii. 76.

3. Me quoque juvat, velut ipse *in parte* laboris ac periculi fuerim, ad finem belli Punici pervenisse. — *Liv.* xxxi. 1.

4. Adeo n' videmur vobis esse idonei,
In quibus sic inludatis? *Ter. Andr.* iv 5. 18.

CHAPTER XLII. Page 238.

Sub.

Under, with an accusative, referred to place.

1. Igitur castris, uti diximus, ante mœnia Hierosolymorum positis, instructas legiones ostentavit. Judæi *sub* ipsos muros struxere aciem, rebus secundis longius ausuri; et, si pellerentur, parato perfugio. — *Tac. Hist.* v. 10, 11.

2. Hærent parietibus scalæ, postesque *sub* ipsos
Nituntur gradibus: clypeosque ad tela sinistris
Protecti objiciunt, prensant fastigia dextris.

Virg. Æn. ii. 442.

3. Geminos invises *sub* caput Arcti. — *Cic. de Nat. Deor.* ii. 43.

Under, *on*, or *beneath*, with an ablative, expressive of place or circumstance.

1. Arma *sub* adversa posuit radiantia quercu.

Virg. Æn. viii. 616.

2. Sylla, cum Hispanos et Gallos donaret, credo, hunc petentem repudiasset: quem nos in concione vidimus, cum ei libellum malus poeta de populo subjecisset, quod epigramma in eum fecisset tantummodo alternis versibus longiusculis, statim ex iis rebus, quas tunc vendebat, jubere ei præmium tribui *sub* ea conditione, ne quid postea scriberet. — *Cic. pro Arch.* c. 10

3. ——— Manet *sub* Jove frigido
Venator, teneræ conjugis immemor.
Hor. Od. i. 1. 25.

4. Agelli est hic *sub* urbe paulum quod locitas foras.
Ter. Adel. v. 8. 26.

5. ——— Classemque *sub* ipsa
Antandro, et Phrygiæ molimur montibus Idæ.
Virg. Æn. iii. 5.

6. Adjunxi hæc, in loco eligendo, flumen oppositum ut haberem, in quo mora transitus esset: Vocontii *sub* manu ut essent, per quorum loca mihi fideliter pateret iter. — *Cic. ad. Fam.* x. 23.

Under, signifying the pretext or cause.

1. Si etiam nunc *sub* umbra fœderis æqui, servitutem pati possumus, quid abest, quin, proditis Sidicinis, non Romanorum solum, sed Samnitium quoque dicto pareamus. — *Liv.* viii. 4.

2. Postquam exhalantem *sub* acerbo vulnere vitam
Deploravit Atyn; quos ille tetenderat, arcus
Arripit: et, " Mecum tibi sint certamina," dixit.
Ovid. Met. v. 62.

3. Querens, inter cætera, fraudatum se justo triumpho, cum ipse paulo ante, ne quid de honoribus suis ageretur, etiam *sub* mortis pœna denuntiasset. — *Suet. Calig.* 48.

On, *about*, or *at*, in point of time.

1. Pompeius *sub* noctem naves solvit. — *Cæs. B. Civ.* i. 28.

2. *Sub* equestris finem certaminis coorta est peditum pugna. — *Liv.* xxii. 47.

3. Agricolam laudat juris legumque peritus,
Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat.
Hor. Sat. i. 1. 9.

4. *Sub* adventum prætoris Romani Pœnus agro Nolano excessit, et ad mare proxime Neapolim descendit, cupidus maritimi oppidi potiundi, quo cursus navibus tutus ex Africa esset. — *Liv.* xxiii. 15.

5. Libra die somnique pares ubi fecerit horas,
Et medium luci atque umbris jam dividet orbem:
Exercete, viri, tauros, serite hordea campis,
Usque *sub* extremum brumæ intractabilis imbrem.
Virg. Georg. i. 208.

After or *upon.*

1. Nihil post hominum memoriam gloriosius, nihil gratius, ne tempore quidem ipso opportunius accidere vidi quam tuas, Plance, literas. Redditæ sunt enim frequenti senatu Cornuto, cum is frigidas sane et inconstantes recitasset literas Lepidi. *Sub* eas statim recitatæ sunt tuæ, non sine magnis quidem clamoribus. — *Cic. ad Fam.* x. 16.

2. Cum senatus habitus esset ad Apollinis, a. d. XI. Kal. Sext. et referretur de stipendio Cn. Pompeii, mentio facta est de legione ea, quam expensam tulit C. Cæsari Pompeius, quo numero esset, quo appeteretur: cum ex Gallia coactus esset dicere Pompeius se legionem abducturum, sed non statim *sub* mentionem, et convicium obtrectatorum. — *Cic. ad Fam.* viii. 4.

About or *towards.*

1. *Sub* exitu vitæ, signa quædam, nec obscura, pœnitentis et de matrimonio Agrippinæ, deque Neronis adoptione, dederat. — *Suet. Claud.* c. 43.

2. Majestatis quoque, et adulteriorum, incestique cum sorore Lepida, *sub* excessu Tiberii reus, mutatione temporum evasit; decessitque Pyrgis morbo aquæ intercutis, sublato filio Nerone ex Agrippina, Germanico genita. — *Suet. Nero.* c. 5.

3. Cornua mares habent, solique animalium omnibus annis stato veris tempore amittunt: ideo *sub* ipsa die quam maxime invia petunt. — *Plin. Nat. Hist.* viii. 32.

CHAPTER XLIII. Page 245.

SUBTER.

Under, beneath, with an accusative.

1. ——— Alpheum fama est huc, Elidis amnem,
Occultas egisse vias *subter* mare; qui nunc
Ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur undis.
Virg. Æn. iii. 694.

2. Deinde *subter* mediam fere regionem Sol obtinet, dux, et princeps, et moderator luminum reliquorum. — *Cic. Somn. Scip.* c. 4.

3. Plato triplicem finxit animam; cujus principatum, id est, rationem, in capite, sicut in arce, posuit: et duas partes separare voluit, iram et cupiditatem, quas locis disclusit; iram in pectore, cupiditatem *subter* præcordia locavit. — *Cic. Tusc. Quæst.* i. 10.

Under, beneath, with an ablative.

1. Saxa quoque infesto volvebant pondere, si qua
Possent tectam aciem perrumpere: cum tamen omnes
Ferre libet *subter* densa testudine casus.
Virg. Æn. ix. 512.

2. ——— Mei nuper Lethæo gurgite fratris
Pallidulum manans alluit unda pedem;
Troïa Rhœteo quem *subter* litore tellus
Ereptum nostris obterit ex oculis.
Catull. lxv. 5.

Adverbially.

Mihi quidem veteres illi, majus quiddam animo complexi, plus multo etiam vidisse videntur, quam quantum nostrorum ingeniorum acies intueri potest: qui omnia hæc, quæ supra et *subter*, unum esse, et una vi, atque una consensione naturæ constricta esse dixerunt. — *Cic. de Orat.* iii. 5.

CHAPTER XLIV. Page 248.

Super.

Upon, *above*, with an accusative.

1. [Demetrius] sepulcris novis finivit modum: nam *super* terræ tumulum noluit quid statui, nisi columellam tribus cubitis ne altiorem, aut mensam, aut labellum: et huic procurationi certum magistratum præfecerat. — *Cic. de Leg.* ii. 26.

2. Nomentanus erat *super* ipsum, Porcius infra,
Ridiculus totas simul absorbere placentas.

Hor. Sat. ii. 23.

3. [Alexandrum] venerantibus Persis; Polypercon, qui cubabat *super* regem, unum ex iis mento contingentem humum per ludibrium cœpit hortari, ut vehementius id quateret ad terram; elicuitque iram Alexandri, quam olim animo capere non poterat. — *Q. Curt.* viii. 3.

Above, i. e. more than.

Eodem anno Ruminalem arborem in comitio, quæ *super* octingentos et quadraginta ante annos Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus et arescente trunco deminutam, prodigii loco habitum est, donec in novos fœtus reviresceret. — *Tac. Ann.* xiii. 58.

Beyond, with an accusative.

1. Lætum ea victoria Vespasianum, cunctis *super* vota fluentibus, Cremonensis prælii nuntius in Ægypto adsequitur. — *Tac. Hist.* iii. 48.

2. ——— *Super* et Garamantas et Indos
Proferet imperium. *Virg. Æn.* vi. 794.

3. Famosissima *super* cæteras fuit cœna data ei [Vitellio], ... in qua duo millia lectissimorum piscium, septem avium, apposita traduntur. Hanc quoque exsuperavit ipse dedicatione patinæ, quam, ob immensam magnitudinem, clypeum Minervæ dictitabat. — *Sueton. Vitell.* vi. 794.

Besides.

1. Tum quoque male pugnatum est, et Janiculum hostes occupavere: obsessaque urbs foret, *super* bellum annona premente, (transierant enim Etrusci Tiberim) ni Horatius consul ex Volscis esset revocatus: adeoque id bellum ipsis institit mœnibus, ut primo pugnatum ad Spei sit, iterum ad portam Collinam. — *Liv.* ii. 51.

2. Pestilentia incesserat pari clade in Romanos Pœnosque: nisi quod Punicum exercitum *super* morbum etiam fames adfecit. — *Liv.* xxviii. 46.

3. Quid tum profeci, mecum facientia jura
Si tamen attentas? quereris *super* hoc etiam, quod
Expectata tibi non mittam carmina mendax.
Hor. Epist. ii. 2. 23.

Upon or *in addition to.*

1. Exprimere non possum, quam jucundum sit mihi quod Saturninus noster summas tibi apud me gratias aliis *super* alias epistolis agit. — *Plin. Ep.* vii. 8.

2. Ita alio *super* aliud scelere quam haud dubie induciæ ruptæ essent, Lælius Fulviusque ab Roma cum legatis Karthaginiensibus supervenerunt. quibus Scipio, "Etsi non induciarum modo fides a Karthaginiensibus, sed jus etiam gentium in legatis violatum esset; tamen se nihil, nec institutis populi Romani, nec suis moribus indignum, in iis facturum esse." — *Liv.* xxx. 25.

Over.

Super alta vectus Atys celeri rate maria,
Phrygium nemus citato cupide pede tetigit,
Adiitque opaca silvis redimita loca deæ.
Catull. lxiii. 1.

Above, i. e. *upon*, with an ablative.

1. Hic tamen hanc mecum poteris requiescere noctem
Fronde *super* viridi. *Virg. Ecl.* i. 80.

2. Inde ubi venere ad fauces graveolentis Averni;
Tollunt se celeres, liquidumque per aera lapsæ,
Sedibus optatis gemina *super* arbore sidunt.
Virg. Æn. vi. 16.

About or *concerning*, with an ablative.

1. Hac *super* re scribam ad te Rhegio. — *Cic. ad Attic.* xvi. 6.

2. Quid factitasti mandatis *super*?
Plaut. Bacch. ii. 2. 18.

3. Si tu melius quippiam speras, quod et plura audis, et interes consiliis; scribas ad me velim, simulque cogites, quid agendum nobis sit *super* legatione votiva. — *Cic. ad Attic.* xiv. 22.

4. ——— Juxta rem mecum tenes
Super Euclionis filia. *Plaut. Aul.* iv. 7. 1.

For the sake of, on account of.

Si nulla accendit tantarum gloria rerum,
Nec *super* ipse sua molitur laude laborem:
Ascanio-ne pater Romanas invidet arces?
Virg. Æn. iv. 232.

Adverbially.

1. *Satis superque* me benignitas tua
Ditavit. *Hor. Epod.* i. 31.

2. Ille tamen confitetur plus se petere, quam debeatur: sed *satis superque* habere dicit, quod sibi ab arbitro tribuatur. — *Cic. pro Q. Rosc.* c. 4.

3. Marcellus etiam adverso rumore esse, *super quam* quod primo male pugnaverat, quia, vagante per Italiam Hannibale, media æstate Venusiam in tecta milites abduxisset. — *Liv.* xxvii. 20.

CHAPTER XLV. Page 255.

TENUS.

Up to, as far as, with an ablative.

1. Lateri capulo *tenus* abdidit ensem.
Virg. Æn. ii. 553.

2. Antiochus Magnus ille, rex Asiæ, cum, posteaquam a Scipione devictus, Tauro *tenus* regnare jussus esset, omnemque hanc Asiam, quæ est nunc nostra provincia, amisisset, dicere est solitus, benigne sibi a populo Romano esse factum, quod nimis magna procuratione liberatus modicis regni terminis uteretur. — *Cic. pro Deiot.* c. 13.

3. Medium ferme diei erat: et ad id, quod sua sponte cedente in mare æstu trahebatur aqua, acer etiam Septentrio ortus inclinatum stagnum eodem, quo æstus, ferebat, et adeo nudaverat vada, ut alibi umbilico *tenus* aqua esset, alibi genua vix superaret. — *Liv.* xxvi. 45.

4. Si nimium alicui fatigato pene febris est, huic abunde est, loco tepido demittere se inguinibus *tenus* in aquam calidam. — *Cels.* i. 3.

HACTENUS, *thus far.*

1. *Hactenus* existimo nostram consolationem recte adhibitam esse, quoad certior ab homine amicissimo

fieres iis de rebus, quibus levari possent molestiæ tuæ. —*Cic. ad Fam.* iv. 3.

2. Longum est enim nunc me explicare, qua ratione aut confirmare, aut infirmare testes, tabulas, quæstiones oporteat. Hæc sunt omnia ingenii vel mediocris, exercitationis autem maximæ: artem quidem, et præcepta duntaxat *hactenus* requirunt, ut certis dicendi luminibus ornentur. — *Cic. de Orat.* ii. 27.

3. *Hac* Trojana *tenus* fuerit fortuna secuta.

Virg. Æn. vi. 62.

Eatenus, *so far as.*

1. Quorum ego orationes si, ut spero, ita expressero, virtutibus utens illorum omnibus, id est, sententiis, et earum figuris, et rerum ordine, verba persequens *eatenus*, ut ea non abhorreant a more nostro, ... erit regula, ad quam eorum dirigantur orationes, qui Attice volunt dicere. — *Cic. de opt. gen. Orat.* c. 7.

2. Dandum aliquid comœdo quoque, *dum eatenus*, *qua* pronuntiandi scientiam futurus orator desiderat. — *Quint. Instit.* i. 11.

3. Quæstorem habes, non tuo judicio delectum, sed eum, quem sors dedit. Hunc oportet et sua sponte esse moderatum, et tuis institutis ac præceptis obtemperare. Quorum si quis forte esset sordidior, ferres *eatenus*, *quoad* per se negligeret eas leges, quibus est adstrictus: non ut ea potestate, quam tu ad dignitatem permisisses, ad quæstum uteretur.— *Cic. ad Q. Frat.* i. 1. 3.

QUATENUS, *how far, as far as, inasmuch as,* or *since.*

1. Quamobrem id primum videamus, si placet, *quatenus* amor in amicitia progredi debeat. Num, si Coriolanus habuit amicos, ferre contra patriam arma illi cum Coriolano debuere? — *Cic. de Amic.* c. 11.

2. Cum sententia prima Bibuli pronuntiata esset, ut tres legati regem reducerent: secunda Hortensii, ut tu sine exercitu reduceres: tertia Volcatii, ut Pompeius reduceret: postulatum est, ut Bibuli sententia divideretur. *Quatenus* de religione dicebat, cuique rei jam obsisti non poterat, Bibulo assensum est: de tribus legatis frequentes ierunt in alia omnia. — *Cic. Fam.* i. 2.

3. Surrentina vafer qui miscet fæce Falerna
Vina, columbino limum bene colligit ovo:
Quatenus ima petit volvens aliena vitellus.
Hor. Sat. ii. 55.

PROTENUS, *farther on, in the same course,* &c.

1. Annibalem, cum cepisset Saguntum, visum esse in somnis a Jove in deorum concilium vocari: quo cum venisset, Jovem imperasse, ut Italiæ bellum inferret, ducemque ei unum e concilio datum: quo illum utentem, cum exercitu progredi cœpisse: tum ei ducem illum præcepisse, ne respiceret: illum autem id diutius facere non potuisse, elatumque cupiditate respexisse: tum visam beluam vastam et immanem, circumplicatam serpentibus, quacunque incederet, omnia arbusta, virgulta, tecta pervertere: et eum admiratum quæsisse de deo, quodnam illud esset tale monstrum: et deum respondisse, vastitatem esse Italiæ; præcepisseque, ut pergeret *protinus:*

quid retro atque a tergo fieret, ne laboraret. — *Cic. de Div.* i. 24.

2. *Protinus* aerii mellis cœlestia dona
Exequar. *Virg. Georg.* iv. 1.

3. ——— Quin *protinus* omnia
Perlegerent oculis: ni jam præmissus Achates
Afforet. *Virg. Æn.* vi. 33.

4. Dedi literas ad te Philogono, liberto tuo, quas credo tibi postea redditas esse: in quibus idem te hortor et rogo, quod pueri tibi verbis meis nuntiarunt, ut Romam *protinus* pergas et properes. — *Cic. ad Q. Fratr.* i. 3.

Tenus, with a genitive.

1. Crurum *tenus* a mento palearia pendent.
Virg. Georg. iii. 58.

2. [Myron fuisse] videtur numerosior in arte, quam Polycletus, et in symmetria diligentior: et ipse tamen corporum *tenus* curiosus, animi sensus non expressisse. —*Plin. N. Hist.* xxxiv. 5.

3. ——— Pueris absinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoque liquore,
Ut puerorum ætas improvida ludificetur
Labrorum *tenus*. *Lucret.* i. 935.

THE END.



London:
Printed by A. & R. Spottiswoode,
New-Street-Square.